

LIBER QUARTUS DECRETALIU GREGORII IX.

De Causis Matrimonialibus.

Libro præcedenti explanatæ sunt causæ civiles Ecclesiasticæ, a potiori Clerum concernentes; in hoc examinandæ veniunt causæ matrimoniales, quæ licet propriæ sint laicorum, tamen iudicibus Ecclesiasticis, & animarum curatoribus scitu sunt valde necessariæ. Cum vero matrimonium a Christo Domino venerabilibus Sacramentis annumeratum sit, in eo contrahendo, & iudicando, non jura civilia, sed divina, & Canonica instituta servanda sunt: ac proinde solers jurium studiosus facile emendabit leges sæculi, quæ in hac materia Canonicis obveniant institutis.

TITULUS I.

De Sponsalibus, & Matrimoniis.

Agitur de his in Sexto b. 1. in Decreto 27. q. 2. & 32. q. 1. 2. & sparsim a causa 27. usque ad finem 36. In Trid. Sess. 24. de Sacramentis cum subiunctis Canonibus, & decreto de resor. matr. in Institutionibus lib. 1. tit. 10. In Pandectis lib. 23. tit. 1. 2. In Cod. lib. 5. tit. 1. & 4. Nov. 22.

1. Præfens rubrica duas habet partes: alteram de sponsalibus strictè sumptis, prout ordinantur ad matrimonium; alteram de ipso matrimonio: neque tamen rubrica ista adequat nigrum, cum in hoc etiam agatur de quibusdam impedimentis matrimonii. Unde expedit post tractationem de sponsalibus, & matrimonio generalem doctrinam præmittere de istem impedimentis, & in specie ea examinare, quæ in hoc libro propriis titulis carent.

§. I.

De Sponsalibus.

1. Nota, nomen sponsalium derivari a spondendo: nam moris fuit veteribus stipulari, & spondere sibi uxores futuras, unde & sponsi, sponsequæ appellatio nata est l. 2. §. ff. h. t. illi vero, qui spondebant, quod viro stipulanti feminam in uxorem darent, dicebantur sponsores; & ædus, vel alia similia, rarissime auferunt usum rationis, non obstat velori sponsalium, nisi oppositum probetur: quo sensu explicatur l. 48. ff. de R. J. Nec contrariunt Can. 55. quis 2. q. 3. & Can. 21. de panit. dist. 1. nam cit. c. 5. plus non dicitur, nisi quod convitium in ira dictum, vim accusationis non habeat, licet vim convitii habere possit. In Can. 21. dicitur, quod discessio non statim faciat divortium, nisi deinde constet, quod uxor diverterit animo perpetuam constituendâ discessionem.

2. Q. I. Quid sint sponsalia quoad rem? R. Sunt mentio, & repromissio nuptiarum futurarum l. 1. ff. h. t. seu sponsalia sunt contractus consensualis, quo vir, & mulier reciproce consentiunt super futuro matrimonio legitime inter se incedendo: ita in re comm. Ratio introducendi sponsalia fuit, tum ut matrimonium non temere, sed cum magna deliberatione eligeretur; tum ut daretur competens terminus ad impedimenta detegenda. Simpliciter autem loquendo, matrimonium contrahi valet absque præviis sponsalibus, ut clare colligitur ex c. 9. 22. & 31. h. t. l. 9. ff. eod. Nec est paritas a novitiatu; quod enim is præmitti necessario debet professioni religiose, habetur hodie jus clarum Trid. S. 25. c. 15. de Reg. quale jus non extat de sponsalibus matrimonio præmittendis.

3. Dicitur autem legitime incedendo, quia sponsalia valide non contrahunt, nisi illi, inter quos matrimonium consistere potest absque ullo impedimento juris naturalis, & Canonici, ne scilicet deat obligatio spon-

salia ad aliquid invalidum, vel turpe adstringens, unde defectu usus rationis sponsalia inire nequeunt infantes, furiosi, amentes, nisi in lucidis intervallis; perfecte ebrii; item, qui simul matus, fardus, & cæcus est, moraliter loquendo, vix aptus est ad contrahenda sponsalia, cum nec verbis, nec signis instrui possit de matrimonio. Denique sponsalia contrahere non possunt, quicumque laborant aliquo ex impedimentis dicitur, aut impediuntibus.

4. Q. II. Qualis esse debeat consensus sponsalium? R. 1. Debet esse certus super his numero personis; nam sicut matrimonium, ita, & sponsalium obiectum substantiale sunt persone determinate in individuo; & cons. error in persona ipso jure naturali vitiat sponsalia, cum errantis voluntas nulla sit, seu nullus consensus, l. 8. §. C. de J. & F. Ign. Quod si quis cum duabus, vel pluribus simul contraxit, nullam determinate tenetur ducere; sed, si velit matrimonium inire, unam ex his eligere debet ex reg. 54. in 6. Hæc tamen electio cessat in casu, quo cum altera sponsa matrimonium subsistere nequit; ut si quis post sponsalia cum duabus fororibus inita, cum una illarum fornicetur; tunc enim desolatam obligatur ducere, quia cum altera ob impedimentum affinitatis nuptiæ consistere non possunt.

5. R. 2. Consensus sponsalium debet esse deliberatus, hoc est, cum tanta advertentia, quanta sufficit ad peccatum mortale, seu ad promissionem humano modo factam: ita comm. nam sponsalia sunt contractus, seu actus moralis; ergo perfecti debent consensu deliberato. Unde quia passio amoris, iræ, odii, vel alia similibus, rarissime auferunt usum rationis, non obstat velori sponsalium, nisi oppositum probetur: quo sensu explicatur l. 48. ff. de R. J. Nec contrariunt Can. 55. quis 2. q. 3. & Can. 21. de panit. dist. 1. nam cit. c. 5. plus non dicitur, nisi quod convitium in ira dictum, vim accusationis non habeat, licet vim convitii habere possit. In Can. 21. dicitur, quod discessio non statim faciat divortium, nisi deinde constet, quod uxor diverterit animo perpetuam constituendâ discessionem.

6. R. 3. Consensus sponsalium debet esse verus, & non fictus: unde vi fictæ promissionis nullus in foro interno obligatur ad contrahendas nuptias: nam sine animo se obligandi nulla nascitur obligatio fidelitatis, aut iustitiæ: ita in foro externo, in quo verba censentur conformia menti, fictæ promissiones compellunt ad standum his sponsalibus, nisi probet fictionem; ut si vir illiis puella rustice promittat nuptias, cum talis jocari potius, quam sponsalia celebrare præsumatur. Dama autem, que ex ficta promissione alteri parti inferuntur, in conscientia reparanda sunt ab eo, qui suo pernicioso mendacio, seu delicto partem illam damnificavit.

7. R. 4. Desforans puellam sub ficta promissione matrimonii, in conscientia non tenetur determinate ad illam ducendam: ita S. Ant. Bonac. & alii contra Sanchez, Schmier, Laym. &c. Prob. ex cap. 26. hoc tit. ubi desforator sub ficto contractu matrimonii non contrahit obligationem maritalem: quoniam datus solummodo adfuit, & desit omnino consensus; ergo ob eandem rationem desforator non contrahit obligationem sponsaliam. Ratio est, quia obligatio ista determinata non oritur

oritur ex promissione desforantis, cum sola promissio vera, & non ficta inducat obligationem; non ex contractu innominato; de usum corporis, ut me ducas: nam licet puella sub hac conditione offerat copulam, alter tamen hoc ipso, quod fictè promittat nuptias, cum non acceptat sub tali conditione; & cons. ex hoc contractu inchoato a puella non obligatur. Denique obligatio ista non oritur ratione domini illius, quia hoc damnum aliter reparari potest, constituta, vel aucta dote, vel alio modo. Si vero desforator aliter damnum illatum reparare non possit, nisi per nuptias, tunc teneatur desforatum ducere; cum injustus damnificator eo modo, quo potest, teneatur damnum illatum rescire. Hæc pro foro interno: in externo autem proceditur secundum ante dicta, Dices: c. 1. de adulter. ibi: dabit eam, & habebit uxorem. 2. Desforator ex iustitia obligatur habere consensum sponsalium verum; ergo illum supplere debet, ne aliud pro alio invicè creditur obtrudat contra l. 2. §. 1. ff. de R. C. B. Ad 1. particula & ex usu communi accipienda est disjunctive per l. sepe 53. ff. de V. S. quod etiam adversarij fatebuntur. In alternativis vero debitoris est electio ex reg. 70. in 6. ad 2. Dist. ant. obligatur, si copulam acceptasset sub ea conditione, sub qua fuit oblata, conc. ant. si accepit sub ficta promissione, neg. ant.

8. R. 4. Consensus sponsalium debet esse non mere internus, sed simul externus, verbis, vel aliis sensibilibus signis manifestatus; nam sponsalia fieri debent modo humano, quo alii contractus, scilicet per signa sensibilia indicantia internum consensum.

9. Et quidem 1. verba, que sunt signa nobiliora, intelligenda sunt secundum communem significationem, aut morem patriæ; ita ut constet ea serio prolata esse animo contrahendi sponsalia. Hæc verba: nullam ducam, nisi te, per se significant sola sponsalia conditionata: si quam duxero, aliam non ducam, præter te: nam in sensu juris particula nisi relata ad futurum, parit solum affirmationem conditionatam lib. 21. §. 5. ff. de act. empt. l. 40. §. 2. ff. de cond. & demonstr. licet relata ad præteritum, vel præsens, ex negativa faciat affirmativam absolutam; v. g. non habemus Regem, nisi Cæsarem, hoc est Cæsar est noster Rex, & non alius. Hæc autem verba: volo te habere in conjugem, sunt ambigua, an sponsalia, an matrimonium significant: hodie in locis, ubi Trid. viget, questioni huic vix est locus, quia matrimonium contrahitur etiam Parochæ cum solitis verbis, & ceremoniis.

10. II. Annali traditio, portectio manuum, & similia signa, de se non sunt sufficientia manifestantia consensum sponsalium, quia fieri possunt ex alio fine, v. g. amicitie, vel amoris, etiam gravi, nisi mos patriæ, vel alie circumstantiæ illa determinent ad significanda sponsalia; ut si tractetur de sponsalibus, & desuper sequatur traditio annulorum &c.

11. III. Taciturnitas, v. gr. femina, dum vir ei promittit matrimonium, non est signum sufficiens sponsalium, quia in his obligatoris tacens non habetur pro consentiente, nisi forsan interne consentiret: siquidem consensus in mente retentus, nihil operatur in contrahibus humanis.

12. IV. Si parentes utriusque sexus pro liberis puerilibus, vel impuberibus, presentibus, vel absentibus contrahant sponsalia, hæc præsumuntur valida ex sola liberorum taciturnitate: ita clare deciditur c. un. §. fin. de spons. impub. in 6. Ratio hujus specialis decisionis est, quia tacens, etiam in præjudicialis, tunc habetur pro consentiente, quando tenetur, & potest contradicere, nec tamen contradicit: quo sensu recte intelligitur reg. 43. qui tacet in 6. sed dum parentes pro liberis contrahunt sponsalia, isti, si nolint ea fieri, tenentur, & possunt contradicere, mentemque suam aperire; ne alioquin peccent acta parentum contemnendo, & eludendo; ergo si presentes taceant, vel absentes, postquam resciverint, non contradicant, censentur consentire in sponsalia a parentibus contracta. Et hoc pro foro externo, in quo jus præsumit talem consensum ex eo, quod liberi voluntatem suam conformem iuste voluntati parentum, & hi optime velint liberis proficere de futuro matrimonio. At pro foro interno, in quo præsumptio cedit veritati, si liberi tacendo dissentiant, res ipsa nulla sunt sponsalia; cum de essentia con-

trahendi sit consensus personalis. Hæc tamen dispositio; upote correctoria juris naturalis, non est extendenda ad fratres, patruos, tutores, similesque personas, que sine mandato speciali sponsalia pro aliis contrahere nequeunt. Nec obstat c. 14. de resor. spoliat. & cap. 1. de matrim. contrar. nam in cap. 14. vel sponsalia non erant contracta a patruo pro nepote, vel non erant valida. In casu cap. 1. cit. foror non tacuit, sed consentit expresse.

13. R. 5. Consensus sponsalium debet esse reciprocus h. e., mutuo ab utraque parte datus, & mutuo acceptatus: nam sponsalia sunt contractus bilateralis, utramque partem obligans ad incedendas nuptias, ut insinuat Florent. lib. 1. ff. hoc tit. & Julian lib. 11. eod. sponsalia, inquit, sicut nuptiæ consensu contrahentium sunt; ergo: unde promissio ab una parte facta, & ab altera acceptata, sine repromissione futuri matrimonii, non facit sponsalia, sed tanquam liberale, & gratuitum pactum obligat solum promittentem, qui optime faciet præfigendo terminum promissionis, ut intra illum reomitatur, prior promissio committatur. Si vero promissio matrimonii, etiam presentis facta, non sit acceptata, nullo modo ex obligatoria, cum non sit duorum in idem consensus, l. 1. §. 2. 3. ff. & c. 1. 3. de pallis. Dices: c. 1. qui Cler. vel nov. sola promissio matrimonii inducit sponsalia. 2. Promissio acceptata virtualiter est repromissio; cum sicut nuptiæ, ita & sponsalia claudicare nequeant. R. ad 1. In isto casu vir, & mulier, mediante procuratore, vere consenserunt in sponsalia, ut ibi notat Glossa. Ad 2. Neg. antec. nisi aliud ex circumstantiis colligatur; ut si in presentia testium ad sponsalia convocatorum puella acceptet promissionem, quia talis acceptatio censetur fieri animo incedendi sponsalia. Nec urget paritas a matrimonio: quia hoc ex natura sua est conjunctio viri, & mulieris, adeoque reciproce obligatorium: e contra promissio matrimonii potest esse, vel sponsalia utrinque, vel mere liberalis, & gratuita.

14. R. 6. Consensus sponsalium debet esse liber & coactione, quia libertas requiritur ad substantiam actus humani moralis. An vero sponsalia metu gravi injusto extorta valeant? controvertunt DD. Negant Abb. Covar. Laym. Schmier, Wex, & plures alii; sed cum Sylv. Less. Perez, Pirh. Schmalz. & aliis subscribo sententiæ affirmanti sponsalia metu extorta valere ipso jure. Prob. 1. Talia sponsalia valent jure naturali, quia metus non tollit voluntarium simpliciter; valent etiam jure positivo humano, quia nullibi irritantur expresse, neque tacite in cap. 14. & 15. hoc tit. nam jura ista de matrimonio loquentia, cum sint odiosa, & juris naturalis correctoria, non debent corrigi ad sponsalia. Prob. 2. Sponsalia ista non efficiunt matrimonium, quia non obligant: neque sunt via ad matrimonium metu, sed purgato metu, sponte incedendum; neque necent parti metum passæ, sed potius profunt, quia in arbitrio ejus est, ut, vel rescindatur probato metu, vel si deinde commoda appareant illi, pars metum incutiens teneatur eis stare: neque ex alio fundamento talis irritatio eruitur, ergo. Porro pars metum passa, si urgeatur ad nuptias, habet exceptionem quod metus causa §. 1. Inst. de except. si vero se liberare vult ab obligatione sponsalium, habet actionem quod metus causa lib. 1. §. 9. §. 3. ff. quod met. caus. si tandem sponte renuntiet exceptioni, seu actioni quod metus causa, tunc metus purgatur, & sponsalia evadunt plene libera, obligantia utrinque efficaciter ad nuptias incedendas. Neque ratificatio ista, seu renuntiatio actionis facit nova sponsalia, cum ab altera parte non accipitur, sed præcisè est conditio, qua posita, prior consensus acceptatus, qui ex causa metus potuit infirmari, fit firmus, & efficaciter obligatorius; sicut accidit in aliis actibus metu gestis, dum pars metum passa renuntiat actioni metus, volendo stare contractu prius inito. Ex quo dissipantur ea omnia, que per longum, & latum assert P. wex. Dices: 1. cap. 11. ex litteris, de spons. imp. sponsalia metu gesta dicuntur invalida. 2. Dispositum de matrimonio, censetur dispositum de sponsalibus l. 16. ff. h. t. ergo sicut matrimonium, ita sponsalia metu gesta non valent, 3. Pars metum passa multum gravaretur: nam contraheret impedimentum publicæ honestatis, & in casu, quo metus probari non posset, vel judex Ecclesiasticus ex malitia nollet

nollet rescindere sponsalia, cogere ad nuptias incundas. *Re. ad 1.* Sponsalia ibi vel erant valida, & ex causa metus rescissa, si puella nollet expectare puerum: vel erant nulla ex defectu consensus, quia puella nunquam eum voluit, nec vult in virum habere. Ex quibus verbis patet, dissentium puellae fuisse non tantum in traductione in domum pueri, sed etiam in ipsa desponsatione. *Ad 2.* Ubi diversa est ratio sponsalium, & matrimonii, diversa est dispositio: hic autem diversa est ratio: nam matrimonium ex natura sua est insolubile: & ideo jus vult illud esse spontaneum: contra sponsalia ob metum, & alias plures causas dissolvi possunt. *Ad 3.* Neg. antec. ad p. impedimenta a jure introducta non gravant, ut patet in affinitate orta ex copula illicita. Alterum gravamen, si accideret, per accidens habere etiam in sententia Adversariorum: nam si pater metum passa non posset probare metum, vel si iudex ex malitia probationes non admitteret, vel injuste pronuntiaret sponsalia esse valida, pars ista in foro externo, stante metu, non valeret in utraque sententia. Ex his patet, quod metus sponsalibus immixtus nullo modo influat in matrimonium, quia hoc non aliter valet, nisi metu purgato per renuntiationem actionis, quod metus causa.

16. *Re. 7.* Sponsalia clandestina sunt valida, & per se licita: nam nullibi irritantur, vel prohibentur, tanquam illicita: neque sunt via ad matrimonium clandestinum, sed publicum coram Parocho, & testibus in eundem. Consultus autem sunt sponsalia publica coram testibus, ut facile probari possint: secus conscientia erit scriptura super illis contractis: epistola vero, nisi sit confessata, non probat; ut nec littere amatoriae, quae solam presumptionem de se levent faciunt.

17. *Q. III. An, & qua pacto adici possint sponsalia?* *Re. 1.* *Artha* de utroque jure licite apponitur sponsalibus: nam jure Can. nullibi reprobat: jure vero civili *l. 3. §. 5. C. hoc rit.* expresse permittitur arbitrium constituto. Nominem *Artha* objective sumptae venit illa res mobilis, vel immobilis, quae a sponsis, vel eorum parentibus datur, quasi pignus, in securitatem futuri matrimonii, sicut in aliis contractibus. Jam si quis ex sponsis jure resciliat a sponsalibus, *Artha* non duplicatur, ne quis ob justum factum puniatur, sed jure resciliens, si *Artha* accepit, eandem restituit, vel suam repetit: si vero non accepit, ad nihil tenetur. *Artha* si quis injuste resciliat, *Artha* duplicatur, hoc est, accipiens *Artha* tenetur eam restituere, & alterum tantum dare. *Artha* quadruplicata, v. g. ut qui accepit 100. pendat 400. admittuntur ex speciali conventionione: ultra quadruplum vero nequeunt augeri, *cit. lib. 5. C. hoc rit.* ubi tamen minor, si veniam aetatis non impetravit, excusatur ab excessu *Artharum*, & solum ad *Artham*, si quam accepit, restituendam obligatur. Item patet, si per eum non fiet, quo minus filius, aut filia nuptias contrahant, datam a se *Artham* non perdit, ne alieno delicto praeagravetur. 2. Excessus *Arthae* ultra simplicem accepti probabilis non debetur ante sententiam judicis, nisi aliud inter sponsos convenierit: ita Sanch. cum citi. contra Covar. Menoch. &c. volentes duplicationem, vel quadruplicationem *Arthae* in conscientia deberi, saltem conditionate, si pars altera exigat. Ratio est, quia ille excessus vim habet poenae; haec autem regulariter non debetur, nisi post sententiam judicis, licet sit poena conventionalis, si aliter non sit conventum. 3. Si inter sponsos nuptiae secuta sunt, *Artha* repetuntur, vel computantur in dotem, aut donationem propter nuptias; nisi aliud habeat consuetudo loci: nam impleto contractu, *Artha* sine causa esset penes accipientem, ergo.

18. *Re. 2.* Poena moderata contra injuste resilientem licite apponitur in sponsalibus: ita Suar. Laym. Reiff. cum citi. contra Bartol. Covar. wex &c. nam talis poena nullo jure reprobat: non naturali, ut de se patet, cum poena ista invitet ad actum honestum justitiae, seu ad sponsalia implenda: non jure positivo, quia de hoc non constat; siquidem *c. 29. gemma h. t.* loquitur de sponsalibus invalidis puellae infra septennium: vel si valida erant, puella facta viripotens ex privilegio juris, vel alia causa jure recedere potuit a sponsalibus *c. 7. de despons. imp.* ergo. Praeterea poena ista non manut libertatem, sed tantum restringit tem-

eritatem, ne quis sponforum injuste resciliat: sicut *Artha*, vel poena a iudice Ecclesiastico lata contra injuste resilientem; ergo poena in sponsalibus licite apponitur, sicut in aliis actionibus, & contractibus *lib. 14. ff. de pact. cap. 4. de arbit.* Hinc Leo Imp. in sua *Nov. 18.* statuit, ut in sponsalibus constituta poena solvantur, ne sponsalia fursum deorsum ferantur. *Dices: cit. c. 29. h. t.* in parte dispositiva generaliter prohibet poena in sponsalibus, ut etiam in *l. 134. ff. de V. O. §. l. 5. C. h. t.* ibi in fin. *si cautio poenam &c.* *Re. cit. c. 29.* dispositio generalis ponitur pro omnibus similibus casibus, quibus jure resiliat a sponsalibus; & tunc non esse locum poenae ultra fateor. *Citi. l. 134.* liberi sponsalia a parentibus facta non ratificavit; & ideo stipulatio poenae eis adjecta non valet. *Citi. l. 5.* reprobat poena indifferenter posita contra juste, vel injuste resilientem. Imo verius puto ibi corrigi Jura antiqua civilia, secundum quae, soluta poena, ponit quis resciliat a sponsalibus, & matrimonio jam contracto *l. 14. C. de nuptiis l. 2. & seq. ff. de divor.* Et hoc modo stipulatio poenae sponsalibus adjecta est omnino turpis. Opposita sententia est practice tuta, cumque sequi potest, & iudex in foro externo, & confessarius in foro interno, eum non condemnando ad poenam promissam.

19. *Re. 3.* Poena late talis de lucro perdendo, aut non acquirendo, recte ab extraneo apponitur sponsalibus, ut si testator legit 100. Caja, si Titio nuptierit: nam in tali casu fit liberalis promissio sub conditione certarum nuptiarum; ergo si conditio deficiat, etiam deficit promissio. At similis poena adjecta ab ipsis contrahentibus, reprobat a Jure, quia praesumitur amore libidinis facta *lib. 97. §. 2. ff. de V. O.* ut si Caja dicat: *si me uxorem duxeris: hanc villam tibi dabo.* Excipie, nisi talis donatio fit onerosa ex causa dotis, vel donationis propter nuptias.

20. *Re. 4.* Sponsalia largitas, seu donatio, quam sponsi sibi mutuo faciunt ob causam futuri matrimonii, secuto matrimonio, manet accipienti. Si culpa donantis non sequatur nuptias, sponsalium donum manet donatorio: si vero culpa donatarii non sequatur nuptias, is donum reddere tenetur: si tandem neuter sit in culpa, quo minus matrimonium sequatur, utrinque fit restitutor: sponsa tamen, si sponsus ei onusculum dedit, medietatem doni sponsalium lucratur, *l. 15. 16. C. de donat. int. nupt.* Haec sponsalia largitas aliter vocari solet *joale*, seu *socialium*, mundus *mulieribus*, & *dotarium*, vel *donatio ante nuptias*; licet voces istae etiam alias significationes habeant. Circa proxenitium, quod datur proxenetae, sui conciliatori nuptiarum in remunerationem industriae adhibite, servatur consuetudo, vel conventio; idque speciale est, quod proxeneta conveniri nequeat, quamvis liberalius, quam verum erat, depinxerit qualitates, & facultates sponsi, aut sponsae, *l. 2. ff. de proxen.*

21. *Re. 5.* Pactum de habitando, vel non habitando in certo loco, recte apponitur sponsalibus, & contractibus nuptiis, servari debet: nam tale pactum de se non est illicitum, neque contrariatur matrimonio. Excipie, nisi emergeret justa causa descendendi, antea non praevisa; ut si supervenirent capitales inimicitiae, infamitas aeris, &c. tunc enim uxor teneretur sequi maritum alio descendente.

22. *Q. IV. Quis sit effectus sponsalium?* *Re.* Duplex praecipuus: 1. Obligatio gravis justitiae ad contrahendas nuptias, & conf. impedimentum impediens juris naturalis, ne matrimonium licite cum tertio contrahatur: ita *Can. 27. §. 5. & fin. 27. q. 2. c. 2. 10. §. c. h. t. c. 1. de spons. duor.* Quibus juribus corrigitur jus civile *lib. 1. C. hoc rit.* ubi permittitur renuntiare sponsalibus, & cum alia contrahere, licet talis sponsus ob hoc notetur infamia *lib. 13. §. 2. ff. de his, qui notant. infam.* 2. Impedimentum publice honestatis, de quo infra, & jure veteri, ubi Trid. non viget, sponsalia per copulam firmata transeunt in matrimonium, *c. 15. & 30. hoc rit.* nam est praesumptio juris, & de jure, copulam istam factam esse affectu conjugali, ad excludendum peccatum fornicationis: si tamen copula habita est affectu fornicario, cessat praesumptio ista pro foro interno, licet in foro externo nulla probatio, saltem directa in contrarium admittatur.

23. *Re. 2.* Dies obligationis sponsalium, cuius im-

pletioni nullus terminus praefixus est, statim e dicit, & venit a tempore iutorum sponsalium: nam in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, praesenti die debetur, *l. 14. ff. de R. J.* neque ratio est, cur sponsalia implenda sint postquam, aut plures menses, & non post diem. Hoc tamen moraliter accipie, sicut in aliis contractibus, ex quibus praesenti die debetur, puta intra competens spatium temporis, quia etiam stipulator non statim eadem die cum facio venire debet pro pecunia *lib. 105. ff. de solutio.* Opposita sententia Navarri, Sanchez &c. docens, obligationem sponsalium non urgere, nisi altera pars exigat eorum impletionem, est practice probabilis, & usu firmata: Patocho tamen incumbit cura, ut sponsalia quantumvis in effectum deducatur, praesertim si altera pars ex vercedendo, vel alia causa non audeat exigere impletionem sponsalium.

24. *Re. 3.* Renuens absque justa causa implere sponsalia, a iudice Ecclesiastico monendus est, & prout prudentia dixerit, etiam alius poenis, & censuris compellendus ad eorum impletionem: ita *c. 10. h. t. & cap. 2. 17. eod.* ubi tamen monetur Episcopus, ut si viderit, excommunicationem nihil prodesse propter pertinacem resilientis contumaciam, a censura abtineat, & instigam revocet; quia tolerandum est potius minus malum, ne majus sequatur ex matrimonio coactio. In hoc tamen casu parti nocenti salubriter alia poena infigi poterit, cum violatur justitia in re gravi, & legitimo praecipio superioris non paratur.

25. *Re. 4.* Fides sponsalium probabiliter violatur per fornicationem alterius ex sponsis; & conf. talis fornicatio praeter speciem luxuriae continet etiam speciem injustitiae necessario in confessione exprimentam: ita Sarmient. Schmalz. &c. contra Covar. Henric. & alios: nam juxta *cap. 25. de jurejur.* fornicatio ista est contra regulam desponsationis; siquidem violat jus ex sponsalibus questum de corpore suo non alteri, sed sibi tradendo, ergo. Opposita sententia etiam est practice probabilis, quia per sponsalia non videtur acquiri aliud jus, nisi ad contrahendum matrimonium, quod jus per fornicationem non laeditur. Multo minus fornicatio sponsae est adulterium, cum non sit violatio honoris alieni. Nec obstat *lib. 13. §. 2. ff. ad L. Jul. de adulter.* nam ibi sola accusatio, seu vindictio sponsae fornicantis permittitur ob injuriam sponso illatam; non vero talis fornicatio dicitur esse adulterium proprie tale.

26. *Q. V. An, & quibus modis sponsalia dissolvi possint?* *Re. 1.* Sponsalia, cum ex natura sua non inducant aliquem statum fixum, & stabilem, dissolvi possunt sicut alii contractus humani, non tantum morte naturali, quae omnia solvit, sed pluribus aliis modis, ut mutuo consensu, fornicatione alterius sponsi, susceptione Ovinis sacri, professione religiosa &c. de quibus hic ordine dicam.

27. *Re. 2.* Sponsalia, etiam jurata, licet juramentum praestitum sit non solum in favorem partis, sed etiam principaliter intuitu pietatis, v. g. erga pauperem puellam, mutuo consensu partium dissolvi possunt, ex *reg. 1. in antiq.* quia nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est, *l. 35. ff. de R. J.* & favore suo quisque etiam puella pauper renuntiare potest ex *reg. antiqua l. pen. C. de pactis.* Ut vero dissolutio ista honeste, & licite fiat, requiritur justa causa; alioquin sponsi non erunt sine culpa, si temere, ex levitate, ira, & alia passione sponsalia solvant: quo sensu procedit *c. 2. h. t. Dices: S. D. 2. 2. q. 89. a. 9. ad 2.* dicit, quod promissarius non possit renuntiare juramento intuitu pietatis factum, seu principaliter in honorem Dei; ergo neque puella pauper tale juramentum renuntiare poterit. *Re. S. D. loqui pro illo casu,* quo res juramento promissa non cedit tota in utilitatem ejus, cui juratum est; ut si quis alicui juraret, quod certam Religionem ingredieretur, Ecclesiam adhiberet &c. at hic tota sponsalia cedant in utilitatem puellae pauperis, cui utique renuntiare potest, ut colligitur ex posteriozibus verbis *S. D. hoc rit.*

28. *Re. 3.* Fornicatio non tantum sponsae, sed etiam sponsi, dat parti innocenti justam causam rescilendi a sponsalibus: ita comm. ex *cap. 25. de jurejur.* quod, licet expresse loquatur de sponsa fornicante, tamen com-

prehensive intelligitur de sponso fornicante: tum quia ratio utrobique est eadem, quod pars fornicans veniat contra regulam desponsationis, & frangenti fides non sit servanda: tum quia sponsus, & sponsa in hoc puncto non debent ad imparia judicari, sicut maritus, & uxor adulterantes. Si autem pars innocens velit stare sponsalibus, non licet parti nocenti rescilire, ne commodum ex delicto suo referat, & deper occasio sponsalia fornicationibus dissolvendi. 2. Si sponsus, & sponsa cum tertio fornicentur, probabilis uterque rescilire potest a sponsalibus: ita Palao, wiesl. Schmalz. & alii contra Palud. Schmier, & alios, docentes, neutrum posse rescilire, & contra Sanch. Pichler &c. docentes, sponsum rescilire posse, non veto sponsam, quia in hac praeter delictum fornicationis, in quo par est sponso, etiam altera causa est specialis turpitudinis: nam causa sufficiens rescilendi est violatio fidei sponsalium *citi. c. 25. de jurejur.* & rationabilis timor, atque diffidentia de observanda olim fide conjugali; sed haec causa manet, etsi uterque sponsus fornicentur; ergo uterque rescilire licet. Nec obstat, quod sponsus alteram causam rescilendi habeat: sufficit enim sponsae una causa principalis, scilicet fides sponsalium fracta, & diffidentia de fide conjugali; sicut uxori sufficit adulterium mariti; ut ob hoc divertere possit, licet major sit turpitudinis uxoris adulterantis. Nec pro secunda sententia fuit *l. 10. §. 2. ff. de compens.* quod paria delicta mutua compensatione tollantur: nam lex ista procedit de compensatione civili pecuniaria, ut si tibi feci damnum 100. & tu mihi damnum 100. delicta ista mutuo civiliter compensamus; at in nostro casu locum non habet: quia posito aequali delicto fornicationis non tollitur causa rescilendi, puta diffidentia de fide conjugali. 3. Si sponsa per vim corrupta est, dat causam rescilendi, quia notabiliter evadit deterior, & turpior, *Can. 33. rapitor. 27. quest. 2.* & quamvis idem videretur dicendum de sponso per vim corrupto, tamen oppositum est probabilis: quia sponsus per hoc non fit vitior, nisi forsitan sodomitice corruptus foret. 4. Tactus impudicus, oscula, & similes actus a sponsa admitti ante sponso causam sufficientem rescilendi: nam talis sponsa praesumitur impudice vivere, & sponsus sine deesse eum ducere nequit. Secus est in sponso, qui per tales actus cum alia femina commissos regulariter non fit vitior, neque dedecus, vel infamiam sponse inserit, nisi actus isti essent frequentes, qui generarent diffidentiam de fide conjugali: tunc enim essent sponsae causa sufficiens rescilendi a sponso.

29. *Re. 4.* Omnis notabilis mutatio sponsalibus superveniens, vel antecedens quidem, sed primum post illa innotescens, est causa sufficiens rescilendi; ut est ex parte corporis deformitas, velut amissio oculi, nastrum, manus, lepra, paralysis, vel alius morbus incurabilis, *c. 25. de jurejur.* Ex parte animi depravationes, crudelitas, ebrietas, scortatio, heresis, veneficium, inimicitiae capitales inter sponsos, aut eorum propinquos &c. Ex parte fortunarum, si unus, vel uterque patitur notabilem jacturam bonorum, cum minus idonei fiant ad ferendam onera matrimonii: item si parentes nolint dare dotem &c. Ratio horum est, quia sponsi praesumuntur se non velle obligare ad casus tam difficiles, sed tacite conditionem apponunt: *si res in eodem statu permanent.* Idem dic, si talis causa antea existens, v. gr. morbus gallicus, primum post sponsalia innotescat, quia in jure paria sunt non esse, & non apparere, *l. 30. ff. de restam. intel.* unde sponsus, qui cogitavit se contrahere cum virgine, si primum post sponsalia innotescat, esse eum corruptum, vel viduam; non tenetur eam ducere. Excipie, nisi sponsus, cognita notabili mutatione sponse, cum carnaliter cognovisset, quia hoc modo censetur renuntiare juri rescilendi, sicut maritus accedendo ad conjugem adulteram censetur injuriam condonare. An divitiae insperatae, vel nobilitas superveniens sponsalibus det justam causam rescilendi, dubitatur. Afirmant Schmier, Vvex & alii, sed probabilis negat Sanchez, Konig &c. nam altera pars per hoc non fit deterior in se, neque executio sponsalium fit durior, nisi per accidens, quatenus offerri possent pinguiora sponsalia, quae causa non est sufficiens rescilendi; alioquin toties recedi posset a sponsalibus, quoties alia pinguiora offerrentur.

30. R. 5. Dilectus sponsi in terras remotas animo mutandi domicilium, si sponsa non consentit, dat ei sufficientem causam resiliendi, cap. 5. hoc tit. nam ita discedens, ipso facto presumitur renuntiare juri sponsalium, cum sponsa eum sequi non teneatur: unde si conslet sponsum tali animo abivisse, sponsa statim convalere potest ad alia sponsalia. 2. Si sponsus abivit in terras longinquas animo revertendi, & reditus est valde difficilis, seu moraliter impossibilis probabilis etiam in isto casu sponsa resiliere potest, sive dilectus facilius sit ex causa necessaria, sive voluntaria: nam sponsus hoc modo non servat debite fidem datam, sed cedit jure suo; cum alias dura accideret sponse expectatio usque ad reditum sponsi, qui tam facile reditus non speratur. Hoc tamen casu, antequam sponsa convoleret ad alia sponsalia, conveniat sponsum per e-pistolam: & si hoc nequit, rem totam ad Episcopum referat, ejusque judicio submittat. Nec hic obstant jura civilia, lib. 2. C. & l. 17. ff. h. r. & l. 2. C. de repud. nam loquuntur de perditione arbarum, si sponsa non expectavit sponsum absentem intra provinciam biennio, extra triennio, & ex causa necessaria quadriennio; quae dispositio trahi non debet ad resolvenda sponsalia per renuntiationem saltem tacitam. 3. Si reditus sponsi facilis sit, vel difficilis quidem, attamen si cum licentia, seu consensu sponse sponsus discessit, teneatur eum sponsa expectare, usque ad tempus conventum, finiendae obligationi praefixum: nam ita volenti sponsae nulla sit injuria.

31. R. 6. Lapsu termini, finiendae obligationi praefixi, solvuntur sponsalia ex parte innocentis; nocens vero teneatur stare sponsalibus cap. 22. hoc tit. idque probabilis verum est etiam in casu, quo alter ob mortem legitimam, seu impedimentum necessarium non potuit intra terminum implere sponsalia: nam contractus ex conventionem legem accipiunt, reg. 85. in 6. ergo lex, seu obligatio sponsalium non porrigitur ultra terminum finiendae obligationi praefixum. Nec obstat, quod impedit tempus non curat lib. 1. §. fin. C. de annal. except. cap. 5. de concess. prabend. nam licet non curat ad poenam legalein, aut conventionalem, currit tamen ad finiendam obligationem, si intra hoc tempus non fiat, quod ex conventionem faciendum erat. Opposita sententia Sanchez, Pontii &c. non videtur improbabilis pro praxi. 2. At si terminus praefixus sit tantum implenda obligationi, eo lapsio, manet adhuc obligatio sponsalia implendi; nam terminus hoc modo praefixus respicit solum commoditatem contrahendi, non vero inducit ablationem obligationis. Exempla obvia habes in debitore, qui non solvit termino praefixio, in homine fideli, qui tempore Paschali non communicavit: nam & ille teneatur deinde communicare, & ille solvere. In dubio, an terminus praefixus sit finiendae, an implenda obligationi, attendenda sunt causae, & circumstantiae; nam si terminus praefigatur ex causa, quia parum grave est diu abstinere a nuptiis, censetur terminus praefigi finiendae obligationi: si vero terminus praefigatur ex causa, quia videtur esse commodum tali tempore nuptias celebrare, censetur terminus praefigi implenda obligationi. In casu, quo per utrumque fit, quominus nuptiae celebrarentur intra terminum finiendae obligationi praefixum, tunc ex parte utriusque sponsalia solvuntur; nisi ambo in prolationem termini consentirent.

32. R. 7. Sponsalia resolvuntur pluribus aliis modis, ut 1. Deficiente, seu non impleta conditione, cap. 3. de condit. appof. 2. Professione religiosa, etiam post biennium in S. J. Susceptione S. Ordinis; & probabiliter voto perpetuae castitatis, ut tit. 6. dicam. 3. Matrimonio de presenti cum alia contracto: tunc enim saltem ex parte innocentis priora sponsalia pereunt, cap. 31. hoc tit. 4. Sponsalia ab impubere contracta, solo assensu in pubertate facto evanescent, c. 7. de despons. impub. 5. Legitima dispensatione Papa. 6. Impedimento juris naturalis superveniente sponsalibus, uti est impotentia perpetua, quia tali casu matrimonium est impossibile. At si ex delicto alterius superveniat impedimentum juris Ecclesiastici, v.g. affinitas ex fornicatione cum consanguinea sponse in primo, aut secundo gradu, teneatur pars delinquens, si potest citra majus suum incommodum, & dampnum, dispensationem petere, & injuste statum obicem tollere.

33. Q. VI. An auctoritas judicis Ecclesiastici necessaria sit ad dissolvenda sponsalia? R. 1. Si adit iusta causa, & simul notoria, nullo jure requiritur talis auctoritas, sed partes privata potestate resiliere possunt. Excipit, nisi speciale aliquid statutum contrarium esset in dioecesi; tunc enim sponsalia praesertim publica, ad evitandum scandalum, necessario auctoritate Episcopi dissolvenda forent. 2. Si causa non sit notoria, aut certa, v.g. delictum fornicationis, plene probari debet coram Episcopo, ne per causam praetextam, & incertam tollatur alteri jus certum ex sponsalibus quaesitum. Si tamen pro causa allegaretur impedimentum dirimens, sufficeret judici etiam unus testis, fama, vel propria confessio utriusque, vel unius sponsi, argum. cap. 2. hoc tit. cap. 10. de despons. imp. cap. 2. de consang. & affinit. nam ubi agitur de vitando periculo animae, seu de peccato, minor probatio requiritur.

§. II.

De Matrimonio.

34. Nota 1. Matrimonium, quoad nomen a matre, & non a patre dici, quia in procreatione prolium, ad quam matrimonium ordinatur, magis mater attenditur, quam pater; cum mater semper sit certa, pater vero incertus, ipsique proles, ante partum onerosae, in partu dolorosae, & post partum laboriosae matri esse soleant; ut merito status iste conjugalis matrimonium potius, quam patrimonium dicatur. Alii vocatur *confortium*, *conjugium*, & *connubium*, seu *nuptiae*; quia olim sponsae velo, quasi nube tegebantur ob naturalem pudorem, & verecundiam, Can. 7. & seq. 30. q. 5.

35. Nota 2. Matrimonium quoad rem definiti, quod sit *viri*, & *mulieris conjunctio legitima*, *individuae vitae consuetudinem continens*. §. 1. Inf. de patr. poss. lib. 1. ff. de rit. nup. Et quidem si conjunctio accipiatur casualiter, seu efficienter, definitio ista competit matrimonio in fieri, prout est actualis contractus, & legis novae Sacramentum: si vero conjunctio accipiatur formaliter pro vinculo permanente, data definitio competit matrimonio in factose, prout est vinculum viri, & mulieris, individuae vitae consuetudinem continens. Quae circa particulas hujus definitionis examinari possent, infra dicentur.

36. Nota 3. Matrimonium varie dividi: 1. In *legitimum*, *ratum*, & *consummatum*. Legitimum ratum est, quod secundum leges, praesertim naturales, contractum est inter personas idoneas, attamen sincerificatione Ecclesiae; & conf. non est Sacramentum, sed purus contractus civilis, sicut sunt matrimonia infidelium, cap. 7. de divor. Can. fin. v. item illud. 28. quae 1. Ratum est, quod secundum leges Christi contrahitur a baptizatis; & conf. ratificationem Ecclesiae habet, estque verum novae legis Sacramentum. Consummatum est, quod per copulam carnalem, quasi integraliter, & per modum complementi perficitur. 2. In *verum*, *presumptum*, & *putativum*. Verum est, quod re ipsa valide contrahitur. Presumptum, quod ab Ecclesia, seu a jure praesumitur contractum, sicut jure antiquo cap. 30. hoc tit. sponsalia per subsequentem copulam praesumebantur transire in matrimonium. Putativum, quod putatur legitime contractum: re ipsa tamen non est ob latens impedimentum dirimens. 3. In *publicum*, quod fit in facie Ecclesiae, scil. in praesentia proprii Parochi, & testium; & *clandestinum*, quod fit clam, absque praesentia Parochi, & testium. 4. In *solemne*, in quo adhibentur solemnitates civiles, ut pacta dotalia, consensus parentum, solemnis traditio sponse in domum sponsi, musica &c. aliter vocatur *politicum*, seu *civile*: & *non solemne*, seu *per theologicum*, aut *canonicum*, in quo adhibentur ea solum, quae de jure Can. necessaria sunt ad nuptias. Sicut autem in matrimonio solemni *ducta* vocatur *nuptiae*, ita in matrimonio non solemni *ducta* dicitur *concubina*, licet re ipsa sit vera uxor, Can. 35. & seq. d. 34. Sub matrimonio pure Canonico continetur matrimonium contractum ad morganaticam, de quo infra tit. 5.

37. Q. I. Quid requiratur ad matrimonium, ut est

contractus civilis, seu pure humanus: R. 1. Legitimae personae, mas, & femina; cuiusmodi sunt omnes homines, qui specialiter non prohibentur: nam edictum de matrimonio contrahendo est prohibitorium in materia generaliter permessa, ergo. Prohibentur autem ob defectum iudicii infantes, furiosi, amentes; perfecte cecii, & probabilius illi, qui a natiuitate surdi, muti, & ceci sunt, ut supra num. 4. dictum. Ob defectum aetatis impuberes; senes vero, dummodo apti sint ad actus conjugales, non arcantur a nuptiis jure hominibus: & ideo Justin. lib. 27. C. de nuptiis correct. I. Juliani Papiani, quae senes ultra 60. annos non admittit ad nuptias. Denique prohibentur a nuptiis omnes illi, qui laborant aliquo impedimento dirimente, aut impediendo.

28. R. 2. Ad substantiam matrimonii requiritur consensus reciprocus, quo vir, & mulier sibi mutuo tradunt, & acceptant corpora in ordine ad actus conjugales. Unde consensus conjugalis explicite ferri debet in jus reale, seu potestatem maritalem, & saltem implicite in copulam: ita comm. sententia contra Pontium, & paucos alios, qui essentiam matrimonii constitunt in solo consensu, seu conjunctione animorum sine ullo consensu in copulam. Prob. ex Gen. 2. v. 24. ibi: *adhaerebit uxori suae, & erunt duo in carne una*, & 1. Cor. 7. vers. 4. *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*. Idem docet Florentin. in Decr. un. §. septimum, Tridentin. Sess. 24. c. matrimonii & c. 1. de reform. matrim. Ex qua doctrina ita arguuntur: matrimonium essentialiter, & ex natura sua institutum est ad procreationem prolium, & propagationem generis humani; ergo consensus maritalis essentialiter ferri debet in jus, & potestatem ad actus conjugales; *sub*, sed hoc ipso, quod quis consentiat in talem potestatem, etiam implicite consentit in copulam, seu in actus conjugales; nam consentiens in causam, virtualiter, & implicite consentit in ejus effectum; ergo consensus conjugalis, saltem implicite ferri in copulam: secus non apparet repugnancia, cur inter patrem, & filium non possit matrimonium consistere. Unde S. D. in supplem. q. 48. art. 1. docet, consentire in matrimonium idem esse, ac consentire in copulam carnalem implicite, non explicite; non enim debet intelligi, nisi sicut implicite continetur effectus in causa: quia potestas carnalis copulae, in quam consentitur, est causa carnalis copulae, sicut potestas mendi re sua est causa usus. Et p. 2. q. 29. art. 2. in corp. ait, *omnino verum fuit matrimonium. Virg. Mavis Dei, & Joseph, quia uterque consensit in copulam conjugalem*; (hoc est in vinculum, seu potestatem conjugalem) *non autem expresse in copulam carnalem, nisi sub conditione, si Deo placeat*. An vero consensus maritalis suppleri possit a Deo? dubitatur: affirmantium opinio videtur probabilis; quia Deus, cum in sua potestate corpora hominum habeat, potest virum, & mulierem conjungere absque ullo eorum consensu, tribuendo utrique jus numerum ad usum corporum. Dices contra *superiorem Resp. 1.* Nuptias non concubitus, sed consensus facit. lib. 81. ff. de R. J. quod etiam docet S. August. lib. 3. de bono conjug. cap. 3. & alii SS. PP. 2. In aliis rebus dominium directum separabile est ab utili; ergo etiam in matrimonio potest dari potestas directa sine potestate utendi corporibus. 3. Sufficit, quod ex parte contractus consentiatur implicite in copulam, licet non ex parte contrahentium. 4. Videtur requiri consensus expressus in copulam, quia per matrimonium sunt duo in carne una; unde Can. 16. & seq. 27. q. 2. dicitur: *non est dubium illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commissio sexus non docetur fuisse*. R. ad 1. Consensus iste, seu conjunctio animorum, non est qualicumque, sed essentialiter ordinatus ad actus conjugales, qui saltem implicite continentur in jure maritali. Ad 2. Neg. conseq. nam dominium, seu jus maritalis per se est potestas utendi corporibus, sine qua nulle sit nuptiae; e contra dominium aliarum rerum per se non est potestas utendi; & ideo in aliis rebus dominium utile separari potest a directo. Ad 3. Subtilitas ista videtur inconceptibilis; si enim ex parte contractus consentiatur in copulam, necessario etiam consentiatur ex parte contrahentium;

qui contractum faciunt. Ad 4. Neg. anteced. ad primum duo in carne una dicuntur per hoc, quod alter alterius potestatem habeat. Canones allegati, utpote depravati, qui in fontibus non reperiuntur, nihil probant, nisi per *commissionem sexus* intelligatur *commissio*, seu *conjunctio* viri, & mulieris in potestatem maritalem consentientium.

39. R. 3. Consensus maritalis debet esse. 1. *Verus* sine fictione; alioquin matrimonium simulatum sine animo contrahendi, coram Deo est nullum, cap. 26. h. r. & sicte consentiens, utpote alteram partem injuste damnificans, teneatur damna illata rescire, quod vix alio modo fieri potest, nisi praestando consensum verum; modo non obit aliquod impedimentum dirimens. 1. *Mutuus*, seu reciprocus, quo alter alteri tradat, & acceptet corpus, cap. 1. de sponsa duor. 3. *Liber* a coactione, & metu gravi injusto, cap. 14. 29. hoc r. 4. *Simulaneus*, saltem moraliter, ne interim tempore intermedio ab uno revocetur. 5. *Expressus* ab ipsis contrahentibus; & ideo parentes, licet pro liberis suis contrahere possint sponsalia; non tamen matrimonium, quod fortiorem obligationem, & majora gravamina post se trahit; ut proinde dispositio cap. unie. §. fin. de despons. impub. utpote correctoria juris naturalis, non sit extendenda ad matrimonium. 6. Consensus matrimonialis debet esse verbo, vel alio signo aequivalente, extrinsece manifestatus: tum quia matrimonium est contractus humanus, qui verbis, aut signis exterioribus perficitur; tum quia est simul Sacramentum, quod signo visibili, seu sensibili constare debet. Decens tamen est, ut persone loqui valentes, consensum suum verbis clavis expriment; maxime si alias scandalum oriretur, vel dubium de valore matrimonii. Hoc, & non plus colligitur ex cap. 25. hoc tit. c. 3. de spons. duor. Interpreti, quo mediante, contrahitur, integre credendum est; cum sit communi contrahentium voluntate electus.

40. Q. II. An, & quod matrimonium sit Sacramentum? R. 1. Matrimonium fidelium in lege Christi est verum Sacramentum: ita contra Sectarios definitum est in Conc. Florent. in decret. un. §. quinto. & §. septimo, Trident. Sess. 7. Can. 1. de Sacram. & Sess. 24. Can. 1. Quae definitio fundatur in perpetua traditione, a Christo Domino accepta, & in verbis Apostoli Ephes. 5. in fin. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & Ecclesia*. Ratio est, quia, ut docet Trident. cit. Sess. 24. in doctrina de sac. matrim. matrimonium confert gratiam, quae naturalis conjugum amorem perficit, indissolubilem unitatem confirmat, conjugeseque sanctificat, & ad sustinenda onera matrimonii corroborat, ergo. Videtur autem hoc Sacramentum institutum, vel illo tempore, quo Christus nuptiis interfuit Joan. 2. vel dum, sublato libello repudii, voluit matrimonium esse indissolubile; vel complete post Resurrectionem suam, dum multa locutus est de regno Dei, seu statu Ecclesiae Acton. 1. His non obstat cap. 3. de Presby. non baptiz. nam ibi dicitur, quod aliqua, quae in Ecclesia sunt Sacramenta, ab infidelibus more profano, & materialiter recipi possint, ut Eucharistia, & matrimonium in ratione contractus civilis.

41. R. 2. Essentia metaphysica Sacramenti matrimonii consistit in conjunctione maritali, significativa, & collativa gratiae; physica vero in materia, & forma: & quidem corpora conjugum sunt materia remota; proxima vero est consensus externus, ut habet vim traditionis; forma autem est idem reciprocus consensus, ut habet vim acceptationis, determinantis traditionem, seu materiam. Denique ministri hujus Sacramenti sunt ipsi contrahentes, non vero Sacerdos: ita vera sententia contra Canum: nam ille est minister matrimonii, qui illud efficit; sed ipsi contrahentes efficiunt Sacramentum matrimonii, quia per cit. Flor. §. septimum, *causa efficiens matrimonii est mutus consensus*: Sacerdos vero est tantum testis ab Ecclesia deputatus, qui benedictionem conjugibus impertit, ergo, tum qui ante Trid. matrimonium fuit, Sacramentum, & tamen absque Sacerdote contrahi potuit, Trid. Sess. 24. c. 1. de ref. matr.

42. R. 3. Matrimonium est Sacramentum transiens, seu consistens in actuali usu; non vero permanentis, sicut Eucharistia: ita Bosco, Schmier &c. contra Sanchez Laym.

Laym. & alios: nam Sacramentum novæ legis est signum practicum ex opere operato collativum gratiæ, sed talis gratia conferitur conjugibus in ipso actuali contractu: non vero ex opere operato in ipsa copula carnali, ut communis docet ex *Can. 4. concubia 32. q. 2. ibi: non tamen tempore illo, quo conjugales actus geruntur, presentia Sancti Spiritus dabitur*, ergo. Ex quo patet disparitas a Sacramento Eucharistiæ, quæ in usu sui sanctificat ex opere operato. *Dices: matrimonium semper significat insolubilem unionem Christi cum Ecclesia: ergo semper est Sacramentum.* R. Significatio ista speculativa non competit præcisè ex eo, quia Sacramentum est, alias etiam competeret matrimonio rato; sed ex eo, quia matrimonium, quod susceperunt fuit ut Sacramentum, per copulam consummatum est. Ut vero quid sit proprie Sacramentum, debet esse signum practicum significativum gratiæ.

43. R. 4. Matrimonium fidelium non est duplex, sed unicum Sacramentum: nam inter duos unicus est contractus, ad rationem Sacramenti elevatus; ergo & unum Sacramentum: unde si ex dispensatione Apostolica fidelis contraheret cum infideli, sicut S. Monica cum Patricio patre S. Augustini, Clotildis cum Clodoveo Francorum Rege, probabilis ex parte neutrius est Sacramentum: nam cum sit unum Sacramentum, unusque contractus, deberet esse totum, seu unum in utroque; sed in infideli non potest esse Sacramentum, ergo nec in fidei. Nec obstat textus ex *1. Cor. 7. v. 14. nam vir infidelis sanctificatur per mulierem fidelem, non sanctitate sacramentali, sed legali, seu legitima, quatenus proles legitima sunt; item externa, & occasionali, quia ex cohabitatione datur occasio conversionis ad fidem.*

44. R. 5. Matrimonium conversorum ad fidem non transit in Sacramentum proprie tale: ita Bosco, Schmalz, contra Sanch. &c. qui volunt transire ipsa baptismi susceptione, & contra Bellarm. Laym. &c. volentes transire, dum prior consensus post baptismum renovatur. Prob. ex dictis, quia actualis contractus matrimonii elevatus est ad rationem Sacramenti; sed contractus iste non fit tempore baptismi, neque post baptismum, cum supponatur factus in infidelitate, ergo. *Dices: juxta S. D. in 4. d. 39. q. un. a. 3. ad 1. infidelium matrimonium est Sacramentum non actu, sed habitu, seu aptitudine, & post baptismum fit ratum.* R. S. D. loqui de Sacramento, non strictè, & proprie, prout est signum practicum collativum gratiæ, sed late, prout est signum speculativum significans insolubilem unionem Christi cum Ecclesia; cuiusmodi signa sunt omnia matrimonia consummata fidelium.

45. R. 6. Fideles, etiam post Tridentinum, contrahere possunt per procuratorem matrimonium in ratione Sacramenti; ita com. contra Durand. Can. &c. nam matrimonia a fidelibus contracta sunt Sacramenta, ut definit Flor. & Trid. *ll. cit.* sed matrimonia contrahi possunt a fidelibus per procuratorem, *c. fin. de Procur. in 6.* cuius dispositio non adversatur Tridentino, cum procurator nomine principalis contrahere possit coram Parocho proprio, & testibus, ergo. Idem dic de litteris continentibus consensum matrimoniale; quia & ista litteræ exhiberi possunt Parocho, & testibus, & coram eis reciprocus consensus dari: ceterum, ut tale matrimonium valeat, requiritur in procuratore speciale mandatum, quod propter arduitatem negotii submandari non potest: & ne interim principalis tempore intermedio suum consensum revocet, *cir. cap. fin. Dices: penitentia, Ordo, & alia Sacramenta non possunt suscipi per procuratorem; ergo nec matrimonium, maxime cum principalis eo tempore, quo contrahitur, posset dormire, & nihil cogitare de matrimonio.* 2. Consensus matrimonialis est personalissimus; ergo suppleri non potest per procuratorem, sicut nec consensus tutoris. R. Ad 1. Neg. conf. nam cetera Sacramenta non imitantur naturam contractus, neque in eis verificaretur forma: *ego te absolvo &c.* contra matrimonium Sacramentum sequitur naturam contractus, nec habet formam determinatam per certa verba, cum sufficiant quæcumque æquivalentia signa. Illa autem verba; *ego vos copulo*, sunt cæceremonia accidentalis, & verificari possunt hoc sensu: *ego vos nomine procuratoris contrahentes copulo*. Quod principalis eo tempore dormiat, non officit, quia consensus ipsius morali-

ter perseverat in mandato, & dormiens, modo aliunde impeditus non sit, gratiam recipere potest. Ad 2. Dist. antec. est personalissimus per exclusionem procuratoris, neg. antec. per exclusionem alterius, qui sine mandato speciali contrahat, conc. antec. quod tutor substituere sibi nequeat substitorem, specialiter a iure introductum est favore pupillorum, cum dato tutoris legi referretur; quod jus, & ratio non currit in contrahentibus matrimonia.

46. R. 7. Fideles contrahendo validum matrimonium, non possunt rationem Sacramenti separare a contractu matrimoniali: ita Petr. de Ledesm. Laym. Sanch. Schmalz. & alii; quorum sententia mihi videtur probabilior; licet aliquando oppositam defenderim cum Gonet. Vafq. Dicastill. &c. Prob. ex cit. Flor. §. *septimum*, & Trid. *sess. 24. Can. 1.* ubi generaliter, & indistinctè matrimonium fidelium dicitur esse vere, & proprie Sacramentum: sed hæc definitio conciliaris non est vera, si aliqua matrimonia valide a fidelibus contracta non essent Sacramenta; ergo omnia sunt Sacramenta: vel si Sacramenta non sunt, neque sunt vera matrimonia. Ratio est, quia Christi matrimonium in ratione contractus validum elevavit ad rationem Sacramenti, seu voluit esse Sacramentum, & conditionem ei apposuit, ut, si fideles valide illud contrahere velint, contrahant illud modo christiano cum ratione Sacramenti; non vero more ethnico in ratione puri contractus; ergo matrimonium a fidelibus contractum semper est Sacramentum; vel si hoc non est, neque est validum matrimonium: tum quia non est creditibile, Christum Dominum in arbitrio fidelium reliquisse, ut pro placito suo matrimonia contrahant cum, vel sine ratione sacramenti. *Dices: 1. Juxta Florentin. intentio est necessaria ad valorem cuiuscumque sacramenti; sed contrahentes matrimonium possunt habere positive contrariam intentionem non consensendi sacramentum, maxime si sint hæretici, negantes matrimonium esse sacramentum.* 2. Christus elevando res ad sacramenta, non sustulit naturam physicam, vel moralem illarum; ergo nec sustulit valorem matrimonium in ratione contractus. 3. Ex nullo iure constat, quod conditio sacramenti annexa sit matrimonio fidelium modo irritativo, ut matrimonium secus contractum sit nullum in ratione contractus. R. ad 1. Fideles, uti & hæretici habent generalem intentionem contrahendi matrimonia more christianorum; & cons. in ratione sacramenti, cui intentioni non prævalet privatus error, quo cogitant, vel matrimonium non esse sacramentum, vel illud a se non contrahi in ratione sacramenti. Quodsi autem nec generalem intentionem habeant contrahendi more christianorum, fed contrahere velint more ethnico, tunc quidem, fateor, non consensunt sacramentum ex defectu intentionis, ut sanior TT. sententia tenet, sed neque consensunt matrimonium in ratione contractus validum: tum quia non observant conditionem a Christo annexam; tum quia sequentur, talem contractum non esse sacramentum ex doctrina Adversariorum, & esse sacramentum ex doctrina Conciliorum docentium omne matrimonium a fidelibus contractum valide, esse sacramentum, cum Christus matrimonium in Ecclesia validum elevaverit ad rationem sacramenti. Sicut ergo in lege Christi repugnat, ut matrimonium ponatur validum in ratione sacramenti, & invalidum in ratione contractus, ita quoque repugnat, ut matrimonium ponatur validum in ratione contractus, & invalidum in ratione sacramenti; cum ista duo Christus inseparabiliter conjunxerit, Sanch. l. 2. *de matr. disp. 10. in fin. Ad 2.* Nihil quidem sustulit, fed tamen annexit conditionem sacramenti, ut contractus iste validus esset sacramentum; ergo si fideles volunt contrahere valide, debent etiam velle consensere sacramentum. Sic ordinatio clericorum, si non valet ut sacramentum, neque valet ut actus civilis deputans ad ministeria clericalia. Unde præcisè ista: *Christus non immutavit naturas rerum ad sacramentum elevatarum, sane est intelligenda, quod scilicet ratio sacramenti non destruat, sed elevet essentialis rerum; non vero quod ea, que attento iure naturali valide ferent, etiam valide fiant in Ecclesia Christi sine ratione sacramenti, ut probari potest per omnia sacramenta.* Sic etiam Tridentinum irritando matrimonia clandestina, non sustulit naturam matrimonii, sed de-

termi-

terminavit; & tamen hodie matrimonia clandestina sicut non valent in ratione sacramenti, ita neque valent in ratione contractus. Ad 3. Eodem iure, quo constat matrimonium validum elevatum esse ad rationem sacramenti, etiam constat per necessariam consequentiam nullum in Ecclesia Christi matrimonium valide contrahi, quod non sit sacramentum. Vel Adversarii offendant exceptionem, aut dicant Concilia temere loqui, dum sine exceptione definiunt matrimonia fidelium, utique valida, esse vere, & proprie sacramenta; quæ definitio non esset vera, si vel unum matrimonium, valide a fidelibus contractum, non esset sacramentum. *Dices: Valida est baptizatio physica, etsi non sit sacramentum; ergo etiam validus est contractus matrimonii, etsi non sit sacramentum.* R. Istam paritatem non esse ad rem: nam baptizatio non elevatur ad lavandum corpus, sed ad lavandum animam a peccatis: sine ratione autem sacramenti aqua nec physice, nec moraliter lavat animam: & similiter matrimonium in lege Christi, sine ratione sacramenti moraliter non ligat animam, licet physice ponatur consensus interius, & externus, sicut physice ponitur baptizatio corporis, in quo paritas ista currit, non vero in valore, de quo loquimur: secus enim ordinatio sacerdotum sufficeret ad sacerdotium novæ legis christianæ, quod unice volunt Sectarii.

47. Q. III. *Qui sint effectus, & proprietates matrimonii.* R. seqq. 1. *Vinculum conjugale*, quod ex natura sua relativum est, dicens habitudinem mariti ad uxorem, & contra, S. D. in *supplem. q. 44. art. 1.* Et per tale vinculum ex mutuo maritali consensu resultat constitutum matrimonium in facto esse, seu status conjugalis ex natura sua continens individuum vite societatem; ac proinde vinculum istud ab intrinseco, ex natura sua, seu de iure naturali est indissolubile, ut infra dicam *tit. de divorciis. 2. Bonum fidei conjugalis*, seu *jus maritale*, aut mutua potestas in corpora, vi cuius conjuges obligantur mutuam amicitiam, & amorem sibi exhibere, communiter in eadem domo habitare, communi mensa, & thoro uti, debitum sibi reddere, & nulli extraneo commisceri, vel copulari per nuptias; & ideo de iure naturali contrahunt impedimentum *ligaminis* dicitur alias nuptias. Quæ omnia expressit Deus *Gen. 2. vers. 24. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne una: eademque inculcat Apostolus 1. Cor. 7. Ex mutuo tamen consensu iura ista restringi, vel remitti possunt, quatenus subiacent potestati conjugum, ut jus cohabitandi, exigendi debitum, modo abest periculum incontinentiæ. 3. Bonum proles*, quæ sit legitima, ali, & christiane educati debet a parentibus. 4. *Bonum sacramenti*, vi cuius conjuges recipiunt gratiam sanctificantem cum iure ad specialia auxilia bene, & sanctè vivendi in hoc arduo statu, ejusque onera sustinendi. Quod si conjuges in peccato mortali contrahant matrimonium, peccant gravi peccato sacrilegii: juxta nonnullos duplci, vel uno æquivalente duobus, quatenus indigne sibi administrant, & recipiunt sacramentum: probabile tamen est, quod remoto obice, gratia matrimonii eis consecratur, cum sacramentum matrimonii virtualiter perseveret in vinculo conjugali; atque ita capax sit suum producere effectum. Ex bono sacramenti, quatenus ordinari ad consummationem matrimonii, oritur etiam absoluta, & omnimoda indissolubilitas, ita ut matrimonium consummatum nulla potestate humana, etiam Summi Pontificis dissolvi possit; quia Christus Dominus voluit unionem suam indissolubilem, quam habet cum Ecclesia per carnem, significari per matrimonium consummatum, ut docet Apost. *Ephes. 5. v. 32.* Trid. *sess. 24. in doctr. de sacr. matrim. & Can. 5. & 7.* Et hi sunt præcipui effectus matrimonii utriusque conjugii communes; speciales autem effectus ex parte mariti sunt: *potestas maritalis*, vi cuius maritus est caput uxoris, quæ non ut ancilla, sed ut sociæ subordinata, tenetur marito obedire in his, quæ pertinent ad curam domesticam, & rectam familiæ administrationem: *item potestas parva respectu liberorum*, de qua fuse agunt *Civiliste*. Ex parte uxoris speciales effectus sunt, quod uxor consuet radiis mariti, participando ejus nobilitatem, dignitatem, privilegia fori, sessionis,

immunitatis, domicilii &c. de quibus consule *Civilitate*.

48. Q. IV. *Quid juris circa petitionem, & redditionem debiti?* R. Obligatio reddendi debitum; si ab altero conjugum petatur, ex genere suo est gravis, regulariter sub mortali obligans, nisi iustissima causa excuset, *1. Cor. 7. v. 3. Gen. 2. crescite, & multiplicamini*: nam obligatio ista est iustitia orta ex contractu matrimoniali graviter obligatorio. At petere debitum per se neuter conjugum obligatur; quia nemo obligatur iure suo uti: Per accidens, si altera pars ex veterandia non petat, ad removendum periculum incontinentiæ, saltem ex charitate obligatur alter ad petendum debitum; quia tunc petere, moraliter est reddere debitum.

49. R. 2. In dubio de valore matrimonii, eadem observantur, quæ in dubio dominiorum, possessionum, & similiarum jurum. Et quidem 1. In dubio positivo, dum peto, & contra adsunt rationes probabiles, uterque licite petit, & reddit debitum: nam ob rationem solum probabilem neuter privatus est commodo possessionis; & aliunde opinio vere probabilis de valore matrimonii contracti excludit periculum fornicationis formalis. 2. Qui bona fide contraxit matrimonium, & superveniente dubio, incipit dubitare de valore illius, si adhibita sufficienti diligentia, veritatem compertire nequeat, depositio hoc dubio speculativo, licite petit, & reddit debitum: nam ob superveniens dubium non debet deturbari ex possessione bona fide acquisita, Reiff. *Theolog. moral. tract. 4. dist. 13. num. 84.* cum aliis ibi cit. 3. Si unus bona, & alter mala fide contraxit, veritate non comperta, bonæ fidei conjugum debitum petere potest ob rationem mox datam: at male fidei conjugum, qui suspicionem habens de impedimento latente mala fide matrimonium contraxit, debitum petere non potest; quia ex contractu male fidei non acquiritur jus petendi, & utendi; reddere tamen debitum debet, ut communior docet contra Sorum, quia conjugum bonæ fidei non debet privari iure & commodo possessionis ob malam fidem alterius, donec probetur matrimonium esse nullum. Si vero uterque mala fide contraxit, neuter petere, & reddere potest debitum, ob eandem rationem: quo sensu procedit *cap. 44. de sentent. excom. 4.* Si uterque dubitare incipit de valore matrimonii bona fide contracti, probabilis ante sufficientem examen; neuter licite potest reddere, aut petere debitum: ita Sanch. & alii contra Cordub. Henric. &c. docentes licitum esse reddere, sed non petere: nam possessio dubia, non præmissa sufficienti investigatione veritatis, non tribuit jus utendi, sed deficientie tali jure, alter nec tenetur, nec potest dare usum corporis; ergo. Nec est paritas a conjugum ligato per vorum castitatis: nam talis in materia iustitiæ habet jus exigendi debitum, licet peccet in materia Religionis, & cons. altera pars licite ei reddit debitum.

50. Q. V. *Quis parentum tenetur alere proles?*

R. 1. Pater mox a natiuitate, uno existentibus in utero tenetur providere de alimentis: ita verior sententia ex *lib. 5. §. 1. & seqq. ff. de agnoscend. & alend. liber. & lib. 8. eod. ubi onus alendi liberis generaliter attribuitur patri, & lib. 5. ff. de ventre in post. mitt. ubi J.Cus ait; curator ventris alimenta mulieri statueret debet; quia videtur, quæ ita præstantur, ipsi præstari, qui in utero est. Nec obstat *lib. 9. Cod. de patria potest. ex qua nonnulli volunt matrem obligari usque ad triennium alere proles: nam lex ista, ut bene advertit Lauterbach, Schmier, & alii, procedit de alimento lactis, & cura infantis, non vero de aliis alimentis, quæ etiam in utero existentium pater præstare tenetur. In defectum patris ad alendos liberos obligatur ejus ascendentes, ut tandem mater *cir. leg. 5. §. 2. & 4. ff. de agnoscend. liber.* Si vero liberi alendum sufficientem sustentationem habeant, excusatur pater ab eorum sustentatione; uti etiam si ingrati tudinis delictum in patrem committant *lib. 5. §. 7. & 11. eod.* Porro nomine alimentorum venit victus, vestitus, habitatio, medicamenta, & cetera, quibus utendi, curandæ corporis nostri gratia utimur, *l. 44. ff. de P. S. Et quævis de jure civ. Nov. 89. cap. 15. Auth. Ex complexu C. de incest. nupr.* prohibeantur alimenta dari spuris, seu ex damnato coitu natis; hoc tamen correctum est per *jus Can. cap. 5. de eo qui duxit*, ubi jubentur**

ur

tur tales liberi sustentari; cum juri naturali contrarie-
prolem, quæ non deliquit, ab alimentis parentum
arceat.

51. Q. VI. An matrimonium sit in precepto? R.
Respectu communitatis humane est in precepto; non
vero respectu singulorum hominum. Ratio 1. quia
Deus precepit speciem humanam propagari, & ita con-
servari Gen. 2. creascite, & multiplicamini; ergo hoc
preceptum afficit communitatem generis humani; &
ideo in casu necessitatis possit is, qui communitati
presidet, aliquos cogere ad matrimonium. Ratio 2.
quia non est necesse ad conservationem generis huma-
ni, ut singuli matrimonio jungantur: uno hodie, dam-
terra repleta est hominibus, expediet, ut cœlum repleat
virginibus.

52. Q. VII. An concubinatus, in quo unicus celebs
unice celibi jungitur absque contractu maritali, sit
licitus? R. Negative: nam licet olim jure civili per-
missus fuerit; jure tamen naturali, divino, & Cano-
nico damnatur, cum foveat peccatum mortale tanto
gravius, & perniciosius, quanto concubinatus est di-
utrior, Can. 6. audite d. 34. Can. 11. meretrices 32.
q. 4. Unde concubinatus, donec desinat occasionem
proximo peccandi, non sunt abolendi in Sacramen-
to pœnitentiæ, de quo plura TT. & Trident. Sess. 24.
cap. 8. de reform. matrim. Nec obstat Can. 4. cum
seq. d. 34. nam loquitur de uxore ducta sine solemnita-
tibus civilibus, que in sacris litteris, & in jure se-
pe dici solet concubina, licet et ipsa sit vera uxor.

§. III.

De Impedimentis Matrimonii.

Cum in matrimoniis maxime spectanda sit honestas
lib. 42. ff. de ritu nuptiar. recte jus induxit certa im-
pedimenta, seu obstacula moralia, in quibus certa ma-
trimonia ob quandam indecentiam iniiri verantur: & de
his in presenti.

53. Q. I. An detur in Ecclesia, & penes quem res-
ideat potestas inducendi impedimenta matrimonii? R. 1.
Potestas ista datur in Ecclesia: ita sub anathemate
definit Trid. Sess. 24. Can. 4. nam prescribere for-
mam contractui, ad rationem sacramenti elevato, non
excedit potestatem Ecclesie, cum Christus Dominus hoc
ipso, quod non determinaverit, qui contractus ma-
trimonii sit legitimus, censetur talem determinationem
specificam reliquisse arbitrio Ecclesie; ergo.

54. R. 2. Potestas inducendi impedimenta dirimen-
tia matrimonii residet in solo Papa: ita com. ex con-
tinuo usu Ecclesie: nam negotium istud circa talia
impedimenta est unum ex gravioribus; ergo merito re-
servatur Sedi Apostolicæ: unde Prælati, Papa inferiores,
licet ex justa causa interdicerent matrimonium, seu
aliqua impedimenta impedire statuerent, non tamen
dirimentia, cum potestas ista nullo jure sit eis attributa.

55. R. 3. Princeps politicus, sive fidelis, sive infi-
delis, non potest fidelibus statuerent impedimenta diri-
mentia matrimonii; bene vero infidelibus sibi subjectis:
ita com. cum S. D. in 4. d. 42. art. 2. ad 4. 1. Ra-
tio 1. quia contractus matrimonii propter conjunctio-
nem cum sacramento, est res spiritualis subdacta a po-
restate politica, & attributa soli potestati Ecclesiasticæ,
Trid. Sess. 24. Can. fin. neque fideles in contrahendis
matrimonii subduntur Regibus, sed Pontificibus; er-
go. Ratio 2. quia matrimonia infidelium sunt purus
contractus humanus, & civilis, cum Princeps certam
formam prescribere possit; ergo, & impedimenta sta-
tuere, quorum plura videre est iii. ff. de ritu nup.

56. R. 4. Consuetudine induci, & abrogari possunt
impedimenta dirimentia matrimonii; et si consuetudo
ista non sit expresse approbata a Papa: ita communior
ex reg. generali cap. fin. de consuetud. ubi approbatur
omnis consuetudo rationalis, & legitime prescripta;
sed consuetudo, qua inducuntur, vel abrogantur im-
pedimenta solo jure Ecclesiastico dirimentia matrimonium,
potest esse rationalis, & legitime prescripta, seu legi-
time tempore durans, sicut cap. 1. & 3. de cognat.
spirit. jubetur observari consuetudo circa impedimentum
cognationis spiritualis; ergo. Ex hoc capite multi DD.
presertim Germani, docent matrimonia hereticorum
in Germania, que contracta sunt cum solo impedi-

mento juris Ecclesiastici, esse valida, quia leges con-
nubiales, saltem quoad vim irritativam, abrogatæ vi-
dentur per contrariam consuetudinem, que in his cir-
cumstantiis reputatur rationalis ob bonum commune,
ne plurima matrimonia dissolvantur, filii pro spiritibus
habeantur, atque incapaces sint officiorum publicorum,
& beneficiorum, ne pax, & tranquillitas publica tur-
betur, presertim, si nullo modo speretur observantia
fac. Canonum. Dices: 1. Consuetudines istæ reproban-
tur cap. 1. hoc tit. & cap. 5. de consanguin. 2. Seque-
retur, quod Sacerdotes apostata valide contrahant ma-
trimonia in terris hereticorum. 3. Consuetudo cap. 1.
& 3. de cognat. spirit. ideo sustinetur, quia expresse
approbatur a Papa. R. ad 1. cap. 1. hoc tit. præce-
batur lex, aut consuetudo contraria juri divino, vicu-
sus matrimonium rite contractum dissolveretur, cap. 5.
cit. procedit de consuetudine irrationabili, & legitime
non prescripta, quam presumptores inchoare atten-
tunt. Ad 2. Neg. seq. nam quoad matrimonia Sacer-
dotum, & religiosorum non est inducta consuetudo,
sed potius consuetudo contraria observatur: siquidem
isti ad Ecclesiam reducere separantur ab exoribus puti-
titiis, & hæc ad alias nuptias transire permittuntur.
Ad 3. Approbatio ista est solum declarativa legitime
consuetudinis, que ante ullam personalem approbatio-
nem vim suam habuit.

57. R. 5. Papa ex gravi causa potest inter duas per-
sonas interdicerent matrimonium sub nullitate, seu cum
decreto irritante, v. g. si magna sit inæqualitas contra-
hentium, timor discordiarum, scandalorum &c. nam
Papa, cum possit respectu omnium, etiam potest respec-
tû duorum ponere impedimentum dirimens: imo in
peccatis gravissimis delicti, presertim si pendat in fu-
turum, & timeatur continuandum in posteris, potest
aliquem perpetuo inhabilitare, ne matrimonium con-
trahere possit, sicut, teste Calderin. Urbanus V. inha-
bilitavit Barnabonem Vice-Comitem Mediolanensem,
ejusque liberos Ecclesie rebelles. Ceterum ut licite,
imò & valide statuatur impedimenta dirimentia, re-
quiritur justa causa qua matrimonium est juris natu-
ralis permittitur respectu singulorum; quod jus tolli non
potest, vel mutari absque justa causa.

58. Q. II. Qui obligentur legibus, & impedimentis
nuptialibus? R. 1. Si impedimenta sunt juris natu-
ralis, & divini, iis ligantur omnes homines, etiam in-
fideles: nam ab obligatione juris naturalis, & divini
nemo excimitur. 2. Impedimenta juris Ecclesiastici li-
gantur soli fideles, qui baptizati, etiam regulariter hæ-
retici: nam hi omnes subduntur Ecclesie, ejusque legi-
bus. At infideles, ut Judæi, & pagani, cum sint ex-
tra Ecclesiam, non ligantur his legibus; bene vero il-
lis, qua a Papa, ut principe politico, aliisque princi-
pibus eis prescribuntur.

59. Q. III. Quæ sunt impedimenta? R. 1.
Duplicita: Dirimentia, que vitiant valorem matrimo-
nii, ut hoc valide non contrahatur: & impedimenta
tantum, que obstant honestati, ut matrimonium vali-
de quidem, non tamen licite contrahatur: & in his
locus est regula; multa fieri prohibentur, que tamen
facta tenent, ex cap. 16. de regular. R. 2. Utraque
hec impedimenta dividuntur in ea que sunt juris na-
turalis, & que juris Canonici, seu positivi. De jure
naturali tantum impedimenta sunt votum, & sponsa-
lia, quia res uni promissa, licite, & honeste alteri
non traditur: dirimentia vero sunt: error persone, æ-
tas infantilis, impotentia, ligamen, & consanguini-
tas in primo gradu linea recte: nam prius quatuor
ex natura sua adveniunt substantia matrimonii: ul-
timum vero ob perpetuam turpitudinem, que reperitur
in matrimonio patris cum filia, & filii cum matre ir-
ritat ejusmodi matrimonium: cetera sunt juris positivi.
Et quidem de jure civili romano varia inducta fuerunt
impedimenta dirimentia, v. g. liberi sine consensu pa-
tris non poterant iniiri matrimonium, sanctiores, co-
rumque liberi cum libertinis, tutor, & ejus filius cum
pupilla, præses provincia cum femina provinciali, &
plures alii non valebant certa matrimonia contrahere,
ut fuit referunt, iii. ff. de ritu nuptiar. sed in Eccle-
sia Christi hec impedimenta non curantur, nisi illa
que a sacris Canonibus recepta, & approbata sunt.

60. Q. IV. Quæ in Ecclesia sunt impedimenta im-
pedientia matrimonii? R. De jure hodierno sunt tan-
tum

tum quatuor: Ecclesie vetitum, feræ, sponsalia, vo-
tum. De jure antiquo erant 12. scilicet impedimentum
ex catechismo, & ex 7. criminibus. De impedimento
sponsalium, & voti simplicis castitatis agerunt iii. 4. &
6. de reliquiis omnibus iii. 16. quo te remitto.

61. Circa ista impedimenta impotentia vide notata
in Elencho l. n. XXI. par. l. pag. 391. &c.

61. Q. V. Quot, & que sint impedimenta dirimen-
tia? R. De jure antiquo sunt duodecim, vel quatuor-
decim, si triplicem cognationem numero distinguas.
His de jure novo Trid. adduntur duo: clandestinitas,
& raptus: ætas vero impuberum reducit ad impo-
tentiam. Hæc impedimenta comprehenduntur his anti-
quis veticulis: Error, conditio, votum, cognatio, cri-
men, cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
si sit affinis, si forte coire nequibus, si parochi, & du-
plicis desit presentia testis, si mulier sit rapta, loco
nec reddita tunc: hæc faciendæ vetant, connubia cum
Betractant. Error hic intelligitur circa individuum
personæ: conditio significat servitutem, votum profes-
sionem religiosam; cognatio propinquitatem personarum
legalem, spirituales, & carnalem: crimen inachinatio-
nem in mortem alterius conjugis, vel adulterium cum
promissione matrimonii: cultus disparitas religionem
aliam a christiana: ordo tres sacros ordines: ligamen
vinculum matrimoniale cum alio: vis: metum: honestas
impedimentum publice honestatis: si sit affinis
impedimentum affinitatis: si forte coire nequibus im-
pedimentum impotentie: cetera verba significant im-
pedimentum clandestinitatis, & raptus. Ex his im-
pedimentis quædam habent suos proprios titulos: nam de
etate agitur iii. 2. de clandestinitate iii. 3. de liga-
mine iii. 4. de conditionibus adversis matrimonio iii.
5. & de conditione servili iii. 9. de voto, & sacro
Ordine iii. 6. de crimine iii. 7. de cognatione iii. 11.
12. & 14. de impotentia iii. 15. Reliqua non habent
propriis titulos in jure, sed quædam insinuantur hoc
tit. ac proinde hic mihi videbatur agendum de errore,
vi, seu metu, raptu, dispari cultu, & justitia publica.

Impedimentum erroris.

62. Hic revoca ex dictis lib. 3. tit. 14. errorem in
contractibus alium esse substantialem, qui versatur cir-
ca ipsum objectum substantiale: alium accidentalem,
qui versatur circa accidentia, & circumstantias obje-
cti. Uterque vel est antecedens, seu dans causam con-
tractui, quo præcogniti, contractus non fuisset cele-
bratus: vel incidens, seu concomitans, quo præcogniti,
nihilominus contractus fuisset celebratus.

63. Q. VI. Quis error dirimat matrimonium? R.
1. Error substantialis circa individuum personæ reddit
matrimonium ipso jure naturali nullum: ita com. ex
Can. un. 29. q. 1. ibi: error persone-conjugii consen-
sum non admittit; nam ad valorem matrimonii requi-
ritur consensus, sine quo certa nequeum fedus perfec-
ere conjugale c. 26. h. 1. sed stante errore substantiali
circa individuum personæ, nullus adest consensus, quia
errantis nulla est voluntas, nullus consensus per l. 8.
9. C. de J. & F. Ignor. ergo. Instantiam habes in om-
nibus contractibus, in quibus error circa substantiam
objecti causat invaliditatem actus, ut firmas poculum
aurichalcinum putans esse aureum, aquam coloratam
pro vino &c. Porro cum impedimentum istud sit juris
nature, locum habet etiam in infidelibus: neque ab
Ecclesia tolli potest, cum Papa consensus personalem
supplere nequeat. Dices: 1. Sine consensu stat ma-
trimonium in eo, qui contrahit sub conditione impossi-
bili c. fin. de condit. appost. & in eo qui ante Trid.
sponsam de futuro cognovit c. 30. h. 1. 2. Jacob con-
traxit cum Lia, licet cogitaverit esse Rachelem. 3. Er-
ror personæ non invalidat reliqua sacramenta; ut si
puer baptizetur, cum tamen sit puella. R. ad 1. In-
utroque casu, si verus consensus desuit, non est verum
matrimonium; sed tantum presumptum, quo præsum-
ptio in foro poli cedit veritati. Ad 2. N. a. nam con-
tractus iste a principio fuit invalidus, deinde autem
Jacob expresse consentit in Liam. Ad 3. N. c. nam
in ceteris sacramentis non attenditur hæc, vel ista per-
sona, sed solum præsens, quæcumque illa sit; nisi mi-
nister intentionem suam restringeret ad hoc individuum

P. Remigii a S. Erasmo. Pars II.

personæ: eontra in matrimonio attenditur hæc indivi-
dua persona, cum contrahentis interfit sociam thort
habere illam, in quam consentit.

64. R. 2. Error substantialis non tantum antecedens,
sed etiam incidens relinquit matrimonium invalidum:
ita com. nam licet error incidens non faciat involun-
tarium, sed potius secum trahat voluntarium habitua-
le, tamen non causat actuale, & positivum volunta-
rium, seu consensum ad valorem matrimonii requisi-
tum; ergo tali casu ex defectu consensus, matrimo-
nium est invalidum; ut si contraxisti cum Caja, quam
cogitasti esse Bertam, & nihilominus contraxisses cum
Caja, si scivisses esse Cajam: hic enim, ut vides, non
fuit actualis contractus celebratus cum Caja, sed tan-
tum fuisset celebratus, si notitia Cajæ adfuisset.

65. R. 4. Error circa qualitatem, & circumstantias
personæ, sive sit antecedens, sive incidens, per se, &
regulariter non vitiat valorem matrimonii: ita com.
ex Can. un. in fin. 29. q. 1. ibi: error fortune, &
qualitatis non excludit consensum: nam stante tali er-
rore, absolute, & voluntarie consentitur in hanc nu-
mero personam; qui consensus sufficit ad valorem ma-
trimonii, licet secundum quid sit involuntarius circa
accidentia, & causas impulsivas; ut circa nobilitatem,
divitias, sanitatem &c. cum quibus matrimonium non
contrahitur; ergo. Præterea bonum commune suadet
talia matrimonia sustineri: cum enim error circa acci-
dentia sæpe interveniat in contractu nuptiali, multa ma-
trimonia deberent dissolvi cum ingenti prolium, &
reipubl. damno, & scandalo publico. Excepi 1. nisi
qualitas deducta sit in conditionem; ut dico te, si es
nobilis, dices &c. tuæ enim deficiente conditione,
deficit matrimonium. In dubio non censetur qualitas
deducta in conditionem, quia matrimonia conditiona-
ta non solent admitti. Excepi 2. nisi qualitas redun-
det in substantiam, seu individuum personæ, quia hoc
casu non est error mere accidentalis, sed substantialis
circa personam, quatenus vestitam hac qualitate. S. D.
1. p. q. 29. a. 1. Quando autem qualitas redundet in sub-
stantiam personæ; difficile est dignoscere: Sanchez hæc
regulam subministrat: si persona, prius non visa, per
certam qualitatem designetur, animoque apprehendatur,
tunc error in qualitate redundat in errorem personæ,
v. g. Titius ob spem regni vult contrahere cum primo-
genita hujus Regis, adeoque in hunc finem eligit ma-
trimonium, tanquam medium: si deinde ei offeratur se-
cundogenita, consentiens in illam censetur errare in
persona. Item vult quis iniiri amicitiam cum hac il-
lustri familia, & in hunc finem eligit matrimonium
cum Titia Caji filia, si deinde alia persona ei offerat-
ur, in eam consentiendo, errat in persona. Econtra si
qualitas non determinat hoc individuum personæ, er-
ror circa illam non redundat in errorem personæ, v. g.
Titia dicit, se esse primogenitam Regis, non determi-
nando cujus Regis? vel dicit, se esse illudrem, non
determinando, cujus sit familia? error, aut dolus cir-
ca has qualitates non transfunditur in errorem perso-
næ, sed tantum impellit ad contrahendum; & cons-
tante tali errore, valet matrimonium. Dices: Contra-
hens cum errore antecedente circa qualitatem, ita est
dispositus, ut deficiente qualitate, nollit contrahere;
ergo consensus ipsius non est voluntarius, & cons-
in-sufficiens ad valorem matrimonii. 2. Contractus bonæ
fidei ex errore antecedente iniiri, ipso jure non valent
in probabili sententia, vel saltem rescindi possunt; er-
go & matrimonium. 3. Metus vitiat matrimonium, li-
cet causet tantum secundum quid involuntarium; ergo
& error circa qualitatem, cum & iste causet secundum
quid involuntarium. R. ad 1. Habitualis dispositio
contraria non tollit consensum voluntarium in perso-
nam; ergo nec vitiat matrimonium. Ad 2. Dist. ant.
contractus ex natura sua solubiles, omitt. ant. ex na-
tura sua indissolubiles, sicut matrimonium, aut profes-
sio religiosa neg. ant. Ad 3. Neg. con. ob contrariam
juris dispositionem. Disparitas congrua est: quia metus
minuit voluntarium circa substantiam personæ, facilis
probari potest, neque cum removere est in potestate
metum passi; eontra error minuit voluntarium circa
qualitates, difficulter probari potest, & plerumque di-
ligentia adhibita, removeri potest; ergo licet irritetur
matrimonium metu iniiri, non tamen dolo, aut er-
rore accidentali contractum.

66. R. 4. Error privatus, quo alter, vel uterque falso putat subesse impedimentum dirimens, quod re ipsa non subest, non obstat valori matrimonii: ita Sanchez cum cit. contra Abb. Sylv. Sotum &c. nam error iste non impedit consensum per *Clem. unic. de consang.* ubi contrahentes scienter in gradibus prohibitis excommunicantur: quod sane non fieret, si non consentirent; ergo: tum quia talis error, licet inducat peccatum, quatenus agitur contra conscientiam, tamen rem ipsam non mutat, ut patet in aliis sacramentis: ut si velit quis more christianorum baptizare, valet baptismus, etsi baptizans falso cogitet baptismum non esse sacramentum. Nec obstat *lib. 15. ff. de acquir. hered.* nam ibi heres voluntarius, qui cogitavit se esse necessarium, ideo repudiare nequit hereditatem, quia scire debet, ex quo iure, & causa similibus actionem exerceat; quod tamen ad matrimonium non requiritur.

Impedimentum metus.

67. Nota, impedimentum metus antiquo, & perpetuo usu Ecclesie introductum esse; non vero iure naturali, ut vult Scotus, & alii, cum spectato iure naturali, contractus metu gestus valent, eo quod metus non tollat voluntarium simpliciter.

68. Q. VII. Quis metus dirimat matrimonium? R. 1. Metus gravis iniuste, & directe a causa libera incussus ad extorquendum matrimonium, vitiat valorem illius: ita deciditur *cap. 14. 15. 28. h. t.* nam Ecclesia voluit matrimonia esse plene libera, seu spontanea; tum propter arduitatem vite conjugalis: tum propter significationem voluntarie conjunctionis Christi cum Ecclesia: tum maxime ad precavendos tristes, & infelices exitus, qui ex matrimoniis coactis sequi solent, ut discordia inter conjuges, malum proles, pericula adulterii &c. Gravis metus censetur, v. g. mortis, exilii, mutilationis, confiscationis bonorum, carceris squalidis, privationis officii &c. Levis autem metus, qui non cadit in virtum constantem, sed facile superari potest, non irritat matrimonium: obijuncti etiam regulariter est metus reverentialis erga parentes, dominos &c. Dicitur autem *1. iniuste*: nam si metus iuste incutiatur, non vitiat matrimonium, cum non injuriet; ut si iudex desolatorum cogat ad ducendam desolatam, cui matrimonium promisit. Dicitur *2. a causa libera*: nam si metus incutiatur a causa necessaria, ut morbo, peste &c. non vitiat matrimonium; siquidem nullam injuriam infert. Porro resolutio ista probabilis locum habet etiam in illo casu, quo quis cogitur ad unam, v. gr. ex tribus fororibus ducendam; quia & hic deficit plena libertas contrahendi, & infelices exitus timeantur. Nec est paritas a casu, quo electores coguntur, v. g. ad unum ex tribus eligendum, quia hic, præter diversam juris dispositionem, etiam dispar est ratio; cum electio comparetur sponsalibus, & non matrimonio; neque tanta mala timeantur ex electione, quæ ex matrimonio.

69. R. 2. Metus indirecte incussus, hoc est, alio fine, quam ad extorquendum matrimonium, probabilis vitiat valorem matrimonii: ita Palacios, Schmier, Schmalz, & alii contra Sanchez, Laym. Zots &c. nam jura supra allegata *cap. 14. 15. 28. hoc tit. cap. 2. de eo, qui duxit*, requirunt ad valorem matrimonii plenam libertatem, & securitatem contrahendi; neque distinguunt inter metum directe, & indirecte incussum, idemque manet motivum, scilicet periculum infelicitum, & tristium exituum, & similiter injuria inferretur, si quis directe, siue indirecte cogatur ad aliquod matrimonium, ergo. Unde non valet matrimonium, si ægra contrahat cum medico, alias ex justitia ad curandum obligato, quia timet per malitiam ejus se non curandam: vel si innocens contrahat cum iudicis filia, quia timet se iniuste condemnandum &c. Dicitur: Tali casu metus non influit in matrimonium, sed hoc sponte eligitur, tanquam medium ad evadendum malum imminens. R. Neg. anteced. nam matrimonium eligitur in gratiam metum iniuste incutentis, atque ita consensus injuria obicitur; ergo metus influit in hoc matrimonium, & conf. vitiat illud. Ceterum quia juramentum non supplet defectum consen-

sus spontanei, sequitur matrimonium metu contractum, etsi juramento firmatum sit, esse invalidum, ut clare colligitur ex *cit. cap. 2. de eo, qui duxit*. Cui non obstat *Can. 22. inter cetera*, 22. q. 4. nam licet ibi metus fuerit in promissione, tamen matrimonium, cessante metu, initum est.

70. R. 3. Matrimonium ex metu invalidum, convalescit, si metus purgetur 1. per spontaneam cohabitationem sequi anni, 2. per voluntariam copulam, nullo metu extortam. Prima pars habetur, *c. 21. hoc tit.* quia talis cohabitatio presumitur continuata affectu conjugali; estque hæc presumpcio juris, & de jure non admittens probationem in contrarium. Secunda pars pariter deducitur ex presumpcione, quatenus copula ista voluntaria, ad excludendum peccatum, presumitur fieri affectu conjugali, & non fornicario, ut recte observant TT. & Canonistæ *arg. c. 30. h. t. id. que ipsum docet S. D. in 4. d. 29. q. un. a. 3. q. 2. ad 2.* Secus dicit, si etiam copula vi, & metu extorqueretur; quia tunc prior consensus a metu non purgatur. Nec obstat *c. 22. h. t. c. 4. de despons. impub. c. 4. qui mar. accus.* nam jura ista procedunt de copula spontanea: stante enim metu, copula potius presumitur fornicaria, quam conjugalis. Quare remedium evadendi fornicationem, & malum ex metu imminens, vel erit spontaneus consensus in copulam, vel petitio dilacionis in aliud tempus, quo metus deponi possit, vel fortis resistentia.

71. R. 4. Matrimonium metu initum non est dissolvendum, donec metus plene probeatur per testes, & alia indicia: nam metus est quid facti, & de genere delictorum, quæ non presumuntur, sed probari debent. In dubio, an metus fuerit gravis, vel iniuste incussus, standum est pro favore, & valore matrimonii per *c. 47. in fin. de testib.* ibi: *Tolerabilis est aliquis contra statuta hominum dimittere copulas, quam conjunctis legitime contra statuta Domini separare.* Porro in illo casu, quo constat metum intervenisse, pars altera metum inveniens, non tenetur de novo contrahere, licet pars metum passa spontanee contrahere vellet: nam obligatio ista ex nullo iure colligitur, neque ex causa injuriæ, cum ista tollatur per matrimonii dissolutionem, & aliam personam huic delicto infligendam. Si tamen præcesserint sponsalia valida, vel pars metum passa sentit damnum aliter non reparabile, quam per matrimonium, poterit pars metum inveniens per iudicem compelli ad matrimonium spontanee contrahendum. His non obstat paritas ab aliis contractibus, quibus licet tenetur metum inveniens, quia contractus isti sunt validi; at matrimonium metu contractum est invalidum. Cetera, quæ hic ingruerent queri possunt, solvantur ex dictis *l. 1. tit. de his, que vi.*

Impedimentum Raptus.

72. Nota secundum antiquos Canones *cause 36. q. 1. & 2.* matrimonium absolute irritari inter raptorem, & raptam, saltem si hæc desponsata non fuit. At per *c. 7. & fin. de raptorib.* subsistit matrimonium inter raptorem, & raptam; dummodo hæc, etiam in potestate raptoris constituta libere consentiat. Hodie circa hoc impedimentum servatur jus novum Trid. *Sess. 24. c. 6. de ref. mar.*

73. Q. VIII. Quando raptus dirimat matrimonium? R. Si vir violenter abducat feminam invitam de loco ad locum matrimonii contrahendi causa, invalidum est matrimonium inter raptorem, & raptam, quando raptus est in potestate raptoris; etsi illa post raptum commissum sponte consentiret in raptorem: ita Trid. *loc. cit.* & quia ibi generaliter loquitur, non distinguendo inter mulieres, sed liberatai matrimoniorum consulendo, sequitur hoc impedimentum dari, etsi raptus femina inhoneste invens, aut propria sponsa, præsertim si habeat causam resiliendi. Præter nullitatem matrimonii statuitur triplex poena sine verbis: *Nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxiliium, & favorem præbentes, sint ipso iure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decedant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decetero ar-*

bitrio iudicis dotare. Cessat hoc impedimentum 1. Si raptus constituta in loco tuto extra potestatem raptoris sponte in illum consentiat, *ibid.* 2. Si non fuit invitata, sed sponte consentit in sui abductionem, etiam ignorantibus, vel invitatis parentibus; quia hic volenti non fit injuria, neque libertas contrahendi minuitur. In praxi tamen propter sedandum scandalum, maxime si parentes sunt invitati, solet raptus separari, & deponi in loco tuto, ut constat de libero consensu. 3. Probabilis cessat hoc impedimentum, si femina rapiat virum: tum quia dispositio Trid. utpote odiosa, non est extendenda a raptore ad rapricem: tum quia dispar est ratio, eo quod rarissimum sit, ut femina virum rapiat; raptus autem non solum condici de casibus insolitis, & per raro eventibus, *l. 4. 5. ff. de LL.* Neque dispositio ista extendenda est ad sponsalia, quæ in raptu facta vero iure valent; cum non obligent ad matrimonium in raptu celebrandum, sed si placuerit mulieri in loco tuto positæ; secus ad instantiam ejus ex causa violentiæ rescindi debent.

Impedimentum disparis cultus.

74. Per disparitatem cultum hic intelligitur diversitas Religionum inter fidelem, & infidelem, seu non baptizatum, ut si fidelis contrahat cum Judea, vel Sacerdote.

75. Q. IX. Quo iure dispar cultus dirimat matrimonium? R. 1. Non iure naturali, aut divino; quia de hoc non constat, licet hoc iure talia matrimonia ob periculum perversionis sint illicita *Deut. c. 7. & 2. Cor. 6. ibi: nolite iugum ducere cum infidelibus.* Sic valida erant matrimonia Jacobi, Josephi, Moysis cum feminis infidelibus, Davidis cum Maacha Chananea &c. imo ex iusta, & urgenti causa cohonestari possunt etiam in lege Christi, sicut vit matrimonium S. Cæcilie cum Valeriano, S. Monica cum Patricio, Cloildis cum Clodoveo. 2. Dispar cultus solo iure Ecclesiastico, tradito potius, quam scripto dirimit matrimonium, ut unanimiter tenent DD. cum usu, & praxi Ecclesie.

76. Q. X. An subsistat matrimonium hæretici cum catholica, & contra? R. 1. Affirmative, quia nullo iure irritatur, licet fiat cum pacto, ut proles in hæresi educatur: ita com. contra Schmier: nam illa solum pacta irritant matrimonium, quæ adversantur bono physico, seu naturali proli; uti est evitare generationem &c. non vero illa, quæ adversantur bono spirituali; alias hæretici valide non contraherent cum pacto, ut proles in hæresi educatur. 2. Matrimonium catholici cum hæretica regulariter, & per se est graver illicitum *Can. 15. & seq. 28. q. 1. & c. 14. de heres. in 6.* quia jus naturale, & Canonicum jubet declinare periculum perversionis, & peccati, quod ex talibus matrimoniis imminet; præsertim si adiciantur impia pacta de quibusdam prolihus in hæresi educandis; cum omnes proles educari debeant Deo, & ad vitam æternam, non vero diabolo, & ad interitum sempiternum. In certis tamen circumstantiis cohonestari potest matrimonium catholici cum hæretica; ut si ex una parte nullum sit periculum perversionis; ex altera vero parte adsit gravis causa, maxime boni publici, ut pacis, defensionis fidei catholice &c.

¶ Sæpè tamen expectanda est facultas non ab Episcopis, sed a Sede Apostolica, ne decisum fuisse testatur a Cong. S. Officii Cardinalis Albicinus de instantia in fide *c. 26. n. 164. & seq. & n. 204. 205. 225. 238.* Ceteroquin dicta facultas concedi nunquam solet a Sede Apostolica sine adjectis quibusdam conditionibus, & opportunitis cautelis, relatis a Bened. XIV. in *Epist. ad Primatem Regni Polonia Magnæ nobis 8. Junii 1748. ut in ejus Bullario Romæ impresso tom. 2. pag. 414. & seq. ac lib. IX. de Synod. dioc. c. 3. &c.*

His non obstat *Can. 72. Sextæ Synodi generalis*, ubi tales nuptiæ dicuntur irritæ, & nefarium conjugium: nam Canon iste Trullanus vel nunquam receptus fuit ab Ecclesia, vel contrario usu abrogatus est.

Impedimentum publicæ honestatis.

77. Hoc impedimentum aliter vocatur justitia publicæ honestatis; estque affinitas quedam imperfecta orta P. Remigii a S. Erasmo, Pars II.

ex sponsalibus, vel matrimonio rato. Ortum habet a jure Ecclesiastico *Can. 11. & seq. 27. q. 2. c. 3. 4. 8. hoc tit. cap. un. eod. in 6. &c.* quia publica honestas suadet, ut sponsus abstineat a nuptiis cum consanguineis sponse, & hæc cum consanguinitate spon-

78. Q. XI. In quibus casibus, & gradibus publica honestas dirimat matrimonium? R. 1. Jure novo Trid. *S. 24. c. 4. de ref. mar.* publica honestas oritur ex sponsalibus validis, non vero ex quacumque causa invalidis: neque ultra primum gradum extenditur, v. g. Titius contraxit sponsalia cum Berta, adeoque matrimonium contrahere nequit cum ejus forore, matre, aut filia, bene vero cum nepte, consobrina, avia &c. Hoc iure Trid. correctum est jus antiquum, quo publica honestas dirimens matrimonium oriebatur ex sponsalibus etiam invalidis, dummodo invalida non fuerint ex defectu consensus, *c. un. h. t. in 6.* & extendebatur usque ad quartum gradum, sicut affinitas, *c. 8. de consang.* Porro ut impedimentum hoc oriatur ex sponsalibus, hæc debent esse pure, & non conditionata, certa, non vero incerta; ut si quis duabus fororibus promittat matrimonium; tunc enim ante eventum conditionis, vel electionem unius ex pluribus, nullum est impedimentum, *cit. c. un. h. t. in 6.* Si sponsalia sint invalida ex causa fictionis, putat Sanchez, & alii locum esse huic impedimento, quia, cum fictio sit occulta, perseveret publica indecentia obfusa matrimonio: Navar. Gobat, & alii contrarium probabilius tenent, quia Trid. generaliter dicit hoc impedimentum non oriri ex sponsalibus quocumque ex capite invalidis.

79. R. 2. Publica honestas ex matrimonio rato orta extenditur usque ad quartum gradum inclusive: ita declaravit S. Pius V. *Const. incip. Ad Romanum 1568. 1. Jul.* nam Trid. loquitur solum de publica honestate, quatenus orta ex sponsalibus; ergo circa honestatem publicam ex matrimonio rato ortum servatur etiam hodie jus antiquum, cum non reperitur mutatum. Insuper sicut olim, ita hodie locus est huic impedimento, etsi matrimonium ratum pure, & non conditionate initum, fuerit invalidum, v. g. ex causa consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis &c. dummodo non fuerit invalidum ex defectu consensus, v. g. propter metum, errorem personæ, revocatum mandatum procuratori datum &c. *cit. c. un. h. t. in 6.* Ex qua generaliter textus videtur sequi hodie impedimentum hoc oriri ex matrimonio clandestino, cum non sit invalidum ex defectu consensus: licet oppositum probabiliter teneant Sanchez, Engl, & alii; quia talis contractus sine parrocho, & testibus non habet figuram matrimonii, præsertim cum personæ a Trid. inhabilitentur ad sic contrahendum, atque ita non videantur consentire.

80. R. 3. Impedimentum publicæ honestatis est perpetuum, etiam si sponsalia dissolvantur morte, vel mutuo consensu, *Can. 11. & seq. 27. q. 2. c. 8. h. tit.* ita Sanchez, Laym. & communior DD. quam firmat declaratio S. Congr. *die 6. Julii* approbata ab Alex. VII. præcipiente id amplius in dubium non vocari, teste Fagn. & Gobat; nam impedimentum hoc oritur ex sponsalibus semel validis, ut docet Trid. *l. c.* sed talia fuerunt etiam illa, quæ mutuo consensu dissolvuntur; neque ex ullo iure constat, quod dissolutis sponsalibus, vel matrimonio rato, etiam dissolvatur honestas publica inde nata; ergo. Oppositum docuerunt Gutier. Barros, Engl. hic §. 6. n. 3. nisi quadam declaratione S. Congr. sed huic declarationi, si tamen extitit, præferenda est cit. declaratio Alex. VII. præsertim cum meliori iure, & ratione nitatur.

81. R. 4. Publica honestas non habet vim retrogrediendi, *c. un. h. t. in 6.* ut si Cajus inerat sponsalia valida cum Berta, & deinde matrimonium ratum contrahat cum Titia ejus forore, ex hoc matrimonio invalido non oritur impedimentum honestatis, & conf. Bertam in uxorem ducere potest; at si Cajus cum Titia fornicatus est, neutram potest ducere: non Titiam propter impedimentum publicæ honestatis ex primis sponsalibus ortum; non Bertam propter impedimentum affinitatis ortum ex copula fornicaria cum d. Titia. De ceteris impedimentis agetur in seq. titulis.